

EX LIBRIS
GILBERT
MURRAY
VERITAS
LIBERABIT
BONITAS
REGNABIT

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA

RECOGNOVIT

ET SINGULIS LIBRIS

AD OPTIMAM QUAMQUE RECENSIONEM

CASTIGATIS

CUM VARIETATE LAMBINIANA MDLXVI, GRAEVIO-GARATONIANA, ERNESTIANA, BECKIANA, SCHUETZIANA, AC PRAESTANTISSIMARUM CUIUSQUE LIBRI EDITIONUM INTEGRA, RELIQUAE VERO ACCURATO DELECTU BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

VOLUMEN VI.

CONTINENS ONOMASTICI TULLIANI PARTEM PRIMAM.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXXVI.

ONOMASTICON
TULLIANUM

CONTINENS

M. TULLII CICERONIS VITAM

HISTORIAM LITTERARIAM

INDICEM GEOGRAPHICUM ET HISTORICUM, INDICEM LEGUM ET FORMULARUM, INDICEM GRAECOLATINUM, FASTOS CONSULARES.

CURAVERUNT

IO. CASP. ORELLIUS ET IO. GEORGIUS BAITERUS

PROFESSORES TURICENSES.

PARS I.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI FT SOCIORUM.

MDCCCXXXVI.

M. TULLII CICERONIS

H I S T O R I A

PER

CONSULES DESCRIPTA

ET

IN ANNOS LXIV. DISTINCTA

PER

FRANCISCUM FABRICIUM MARCODURANUM.

M. TULLIUS M. F. M. N. COR. CICERO.

Hoc modo orator noster, cuius historiam descripturi sumus, Romanorum more nominatur, atque haec singula primum explicabimus. M., id est MARCUS, praenomen eius est, quod a patre maximus natu filius de more habuit. TULLIUS proprium et gentile eiusdem nomen est: fuit enim e Tullia[1] gente antiquissima, libro II. cap. 1. de legibus. Patrem Ciceronis ex regio Volscorum genere fuisse, in Eusebii Chronicis legimus. Et Plutarchus scribit, nonnullos eius genus referre ad Tullum Attium, nobilem Volscorum regem. Hinc Silius Italicus libro VIII. v. 406. seqq.

Tullius aeratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies et Tullo sanguis ab alto:
Indole pro quanta iuvenis, quantumque daturus
Ausoniae populis ventura in secula civem!
Ille super Gangem, super exauditus et Indos
Implebit terras voce et furialia bella
Fulmine compescet linguae nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam sperare nepotum.

---

1) Cuius haec familia Ciceronum fuit plebeia: quod ipse subindicat in Bruto cap. 16. loquens de humilioribus hominibus, in alienum eiusdem nominis infusis genus; *ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio cos. anno X. post exactos reges fuit.* Gron.

M. F., Marci filius, habuit enim Cicero noster patrem M. Tullium, qui cum esset infirma valetudine, in Arpinati villa fere aetatem egit in litteris, libr. II. cap. 1. de legibus. Eum fulloniam fecisse ac vites oleasque semper coluisse, Q. Calenus in maledica oratione apud Dionem ait lib. XLVI. c. 4. vol. 2. p. 374. Sturz.[1] Patrem hunc Cicero in petitione consulatus, annos iam natus XLIII. amisit, ut Asconius scribit in Tog. cand. Cic. Opp. Ed. Or. vol. 2, 1. p. 521. Ed. Baiteri p. 82. Vide epist. 5. lib. I. ad Att.

M. N., Marci nepos, nam et avus eius M. Tullius Cicero[2] nominatus fuit, eoque vivo se natum ait, libr. II. cap. 1. de legibus. De eodem lib. III. cap. 16. ita scribit: *Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam.* Is quoque est, de quo Caesar libr. II. cap. 66. de Oratore: *M. Cicero*, inquit, *senex, huius viri optimi, nostri familiaris, pater, nostros homines similes esse Syrorum vehalium dicebat; ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum.* COR., Cornelia nomen est tribus, ablativi casus, ut sit, ex Cornelia. Ex tribubus autem XXXV. aliquam necesse erat, cuiuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret. Atque a tribu, in qua censebantur, cives etiam significabantur: Asconius in Verrinam secundam cap. 8. Cicero autem cum reliquis Arpinatibus in tribu Cornelia censebatur. Livius lib. XXXVIII. cap. 36.

CICERO. Cicerones a *cicere* appellatos fuisse satis constat[3]: itaque dictum esse illum, qui primus hoc nomen invenit, a nasi figura, auctor est Plutarchus cap. 1. Apud Priscianum quoque Grammaticum libro II. 5, 24. (p. 71. Kr.) legitur, eum, qui primus hoc nomen habuit, ab habitu faciei nominatum esse. Plinius vero lib. XVIII. cap. 3. ait, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina prima inde esse, ut quisque aliquod optime genus sereret.

Anno post Romam conditam DCXLVII. (ex Fastis scil. Capitolinis, quos sequitur Fabricius) *ante Christum natum CIII. consules fuerunt*

C. ATILIUS SERRANUS, Q. SERVILIUS CAEPIO.

His consulibus ante diem III. Nonas Ianuarias M. Cicero natus est, Gellius libr. XV. cap. 28. His quoque consulibus, quibus L. Crassus legem Serviliam suaserit, se natum esse ipse Cicero in Bruto cap. 43. scribit. Idem III. Non. Ianuar. natalem suum vocat, epist. 5. libr. VII. et epist. 11. libr. XIII. ad Atticum. Verba Plutarchi sine causa in dubium vocantur: qui de Ciceronis natali ita scribit: τεχθῆ-

---

1) *M. Tullius Cicero — — patre equite Romano natus.* Aurel. Victor de Viris ill. 81, 1.

2) Qui praeter Marcum filium habuit et alium: unde natus Lucius, quem fratrem suum scil. patruelem vocat noster lib. I. ad Attic. epist. 5. Gron.

3) Priscian. 4, 2. 7. p. 144. Krehl.

και δὲ Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, id est, *editum in lucem Ciceronem ferunt tertio die Kalendarum novarum*, sive, post diem tertium Kal. Ianuar., quo genere loquendi non quartus, sed tertius dies Ianuarii significatur, ut sit, tertio die post Kalendas, non numeratis ipsis Kalendis. Sic Livius libr. XXX. cap. 28. ait, Hannibalem post sextum decimum annum ex Italia decessisse: qui venit in Italiam anno, ut Livius numerat, ab U. C. DXXXII., decessit anno DXLVII. Recte igitur Paullus Iuriscon. in L. *Anniculus* D. *de verb. signif. Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum, neutro*, inquit, *sermone undecim dies significantur.* Sic enim legendum ex Pandectis Florentinis, non, *utroque sermone:* ut perperam Alciatus, Budaeus, Valla et Corradus legerunt. Apud Plutarchum omnem dubitationem tollit id quod sequitur: ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος, id est, *quo die nunc magistratus pro Principe faciunt et vota nuncupant.* De quo die Caius in L. *Si calvitur.* D. *de verb. signif. Post Kalendas Ianuarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur*, ubi tertium diem Ianuarii intelligendum esse haec verba Capitolini in Pertinace cap. 6. ostendunt: *Denique ante tertium Nonarum diem, Votis ipsis, milites Maternum Lascivium, senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt. Votis ipsis*, id est, ipso votorum die, quomodo *ludis, gladiatoribus*, et similia a Latinis dicuntur. De iisdem votis Spartianus in Hadriano cap. 23. *Ingravescente valetudine per somnium periit ipsis Kal. Ianuariis. Quare ab Hadriano votorum causa est lugeri vetitus*; et Vopiscus in Tacito cap. 9. *Divorum templum fieri iussit, in quo essent statuae principum bonorum, ita, ut iisdem Natalibus suis, Parilibus, Kalendis Ianuariis et Votis libamina ponerentur.*

Mater Ciceronis, quae ipsum, ut Plutarchus scribit, sine ullo dolore peperit, fuit Helvia, ut ab Eusebio et Paullo Diacono in supplementis Eutropianis recte nominatur: nam apud Plutarchum Ὀλβίαν mendose est pro Ἑλβίαν [1], quod nomen in eiusdem Quaestionibus Romanis emendate legitur, quo de in Annotationibus in Orosii libr. V. cap. 15. Habuit mater Ciceronis sororem, quae C. Aculeoni equiti R. nupsit: quem L. Crassus dilexit ex omnibus plurimum, ut est libro II. cap. 65. de Oratore, ubi Aculeonem Crassus apud M. Perpernam iudicem contra Gratidianum defendisse dicitur. De eodem ipse Crassus libr. I. cap. 43. *Nonne*, inquit, *videtis equitem R., hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit semperque vixit, ita tenere ius civile, uti, cum ab hoc discesseris, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur?* Huius igitur Aculeonis filii Ciceronis consobrini fuerunt, quibuscum se in pueritia bonis disciplinis operam dedisse ipse testatur initio libri II. de Orat. Ex his fuit C. Visellius Varro, vir doctus in primis: qui iuris civilis a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam, in Bruto cap. 76. De eodem in Orat. de provinciis coss. cap. 17. Antequam ad sequentem annum transeo, admonebo adolescentes studio-

1) Emendatum nunc est Ἑλβίαν Plut. cap. 1. Ed. Schaef.

sos, his consulibus natum esse Cn. Pompeium pridie Kal. Octobres, quod Velleius libr. II. cap. 53. et Plinius libr. XXXVII. cap. 2. diserte scribunt: cuius rei observatione facillime diiudicari potest, quot annos natus Pompeius res singulas gesserit honoresve consecutus sit: id quod tam varie ab auctoribus scriptum est, ut maior discrepantia vix inveniatur.

Anno Urbis DCXLIIX. Ciceronis II. coss. fuerunt

P. RUTILIUS RUFUS, CN. MALLIUS.

Hic est P. Rutilius Stoicus, homo doctissimus et Panaetii auditor, de quo Cicero in Bruto cap. 30., lib. III. cap. 2. de Officiis, et nos inferius. Alterum consulem Cn. Mallium voco, quoniam sic quoque appellatur in antiquo marmore Neapoli: unde Georgius Fabricius legem aedificantium[1] descripsit, de quo Cic. pro Plancio cap. 5. *populus R. Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, praeposuit Cn. Mallium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta.* Idem scribit pro Murena cap. 17. Sed apud historicos, qui hunc consulem victum a Cimbris scribunt, magna varietas in nomine et praenomine invenitur, de qua Sigonius in Fastis. Hoc anno Q. Servilio Caepioni proconsuli imperium rogatione C. Norbani tribuni pl. abrogatum est: qua de causa seditio in Urbe excitata fuit, de qua Cicero lib. II. cap. 47. de Orat., unde L. Cottam et T. Didium Norbani collegas fuisse cognoscimus. Sed Caepio damnatus est eiusque bona publicata sunt. Livius libr. LXVII. et Asconius in Cornelianam: ubi mendose impressum est, *Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Caecilio,* est enim legendum, *cum Q. Servilio*, vel *cum Q. Caepione.*[2]

Anno Urbis DCXLIX. Ciceronis III. coss. fuerunt

C. MARIUS II., C. FLAVIUS FIMBRIA.

C. Marius iterum consul Kalendis Ianuariis de Iugurtha triumphavit. Plutarch. in Mario, Salustius in Iugurthino extrem. C. Fimbriam Cicero pro Plancio cap. 21. inter eos numerat, qui, cum tribuni pleb. esse non potuissent, consules facti sunt. De eius eloquentia idem in Bruto cap. 66. His consulibus C. Cassius L. F. Longinus, tribunus pleb. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset cuive imperium abrogasset, in senatu ne esset. Asconius in Cornelianam, Ed. Baiteri p. 78. Hoc anno C. Lusius tribunus milit. Marii sorore natus, pudicitiam cum eriperet Trebonio sive C. Plotio militi, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Quem cum Marius scelere solutum periculo liberasset

---

1) Sive legem PARIETI FACIVNDO. Cfr. Inscriptiones meas Lat. N. 5697. Grut. 207, 1.

2) In Ed. Baiteri p. 78., ubi est *cum Q. Servilio.*

ac coronasset, non parum adiumenti ea res illi ad tertium consulatum attulit. Auctor Plutarchus in Mario et Apophthegmatis. Cicero pro Milone, cap. 4. Valerius lib. VI. cap. 1, 12. Quintilianus lib. III. 11, 14.

Anno Urbis DCL. Ciceronis IV. coss. fuerunt

C. MARIUS III., L. AURELIUS ORESTES.

Marius hunc consulatum in apparatu belli Cimbrici (quod Cicero de provinciis coss. cap. 8. Gallicum vocat et Mario extra ordinem decretum fuisse ait) consumpsit, ut scribit Velleius lib. II. cap. 12., ubi addit, his coss. Cn. Domitium tribunum pleb. legem tulisse, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet: cuius meminit Suetonius in Nerone cap. 2. et Cicero Agraria secunda cap. 7. his verbis: *de sacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur;* de eadem lege Domitia idem in Corneliana apud Asconium, Ed. Baiteri p. 80., ubi illud quoque legimus, Domitium tribunum M. Silanum consularem hominem vexavisse. Orestes in magistratu mortuus fuit. Itaque Marius e Gallia Romam profectus comitia consularia habuit, quibus ipse consul quartum creatus est. Plutarchus in Mario.

Anno Urbis DCLI. Ciceronis V. coss. fuerunt

C. MARIUS IV., Q. LUTATIUS CATULUS.

Hoc anno Marius Teutonos et Ambrones ad Aquas Sextias prope Massiliam delevit, Strabo lib. IV. Orosius lib. V. cap. 16., ut alios mittam, de quibus in Orosium scripsi. Q. Catulus pater est: de cuius dicendi genere multa Cicero in Bruto cap. 35. Interfectus est a Marianis anno DCLXVI. Eodem anno M. Antonius orator, qui triennio post, suo nimirum anno, consul fuit, praetor maritimos praedones in Ciliciam persecutus fuit, ut est in epitoma Liviana libro LXVIII. Atque hanc rem ipse Antonius intelligens, lib. I. de Oratore cap. 18. *Cum pro consule*, inquit, *in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus.* Corradus, non animadvertens, proconsulem dici etiam, qui ante consulatum cum imperio consulari in provinciam mittitur, scripsit, M. Antonium post consulatum in Ciliciam profectum. Tu lege commentarium nostrum in Ligarianam. Atque hic est Antonius ille triumphalis vir, cuius filiam a praedonibus captam fuisse, Plutarchus in Pompeio tradit. Unde Cicero pro lege Manilia cap. 12. *An ignoratis, ex Miseno eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos?* in cuius loci interpretatione doctissimus Hotomanus perperam hunc Antonium cum eius filio, qui curator orae maritimae fuit, ut infra demonstrabimus, con-

fundit. His consulibus Archiam poëtam Romam venisse Cicero in oratione pro eo habita scribit, cap. 3, 5.: et addit, illum sibi a prima pueritia principem ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem suorum studiorum exstitisse. Usus enim fuit Cicero puer Graecis doctoribus, quod ipse in epist. ad M. Titinium, referente Suetonio de claris Rhetoribus cap. 2. ita scripsit: *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam; ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exercere-tur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimo-rum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.*

Anno Urbis DCLII. Ciceronis VI. coss. fuerunt

C. MARIUS V., M'. AQUILLIUS.

Marii in quinto consulatu collega fuit Manius Aquillius. Hinc Antonius apud Ciceronem libro 2. de Oratore cap. 47. ait, se in Aquillii causa, Marium crebro appellando, collegam ei suum commendasse. Aquillium Marii in quinto consulatu collegam adversus fugitivos in Siciliam missum bellumque servile, Athenione duce interfecto, confecisse Diodorus Siculus libro XXXVI. scripsit: in cuius excerpta historia ab Henrico Stephano Latine edita hic consul C. Acilius per mendum vocatur[1], apud Ciceronem quoque Agraria II. cap. 30. male scriptum est, *Siciliae civitatibus bello fugitivorum M. Atilius etiam mutuum frumentum dedit*, ubi *M'. Aquillius* scribendum[2], ut initio Verrinae septimae, *Nos post id bellum, quod M'. Aquillius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia bellum fugitivorum fuisse.* Aquillius deinde causam de pecuniis repetundis dixit: eumque M. Antonius acriter defendit, ut Livius libro LXX. Cicero lib. II. cap. 47. de Oratore et Verrina septima cap. 1. testantur. Idem pro Flacco cap. 39. *M'. Aquillium patres nostri, multis avaritiae criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, iudicio liberaverunt.* Eodem pertinet illud pro Fonteio, cap. 13. *Quam multa M'. Aquillius audivit in suo iudicio!* Accusavit Aquillium L. Fufius, ut Cicero in Bruto cap. 62. scribit, itaque recte nunc libro II. cap. 14. de Officiis legitur: *in accusando etiam M'. Aquillio L. Fufii cognita industria est;* ubi prius *Manlio* corrupte scriptum erat. C. Marius cos. V. et Q. Lutatius procos. Cimbros in Venetia ad Athesim, Veronae fluvium, vicerunt: de qua victoria Orosius noster lib. V. c. 16. Sic Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit: ut ait Cicero de provinciis coss. cap. 13. atque Italiam obsidione liberavit. Idem post redit. ad Quirites, cap. 8. Meminit pro Rabirio, cap. 10. et in Catilin. IV. cap. 10. Q. Catulus de manubiis Cimbricis porticum in palatio in area M. Fulvii Flacci fecit, Cicero pro domo cap. 38.

1) Etiamnunc in Dindorfii Ed. minore Vol. 4. p. 60. est *Γάϊος Ἀχύλλιος*.
2) Emendatum est vitium iam a Lambino.

Anno Urbis DCLIII. Ciceronis VII. coss. fuerunt

C. MARIUS VI., L. VALERIUS FLACCUS.

Horum consulum frequens est mentio apud Ciceronem pro Rabirio, cap. 7. in Bruto, cap. 62. in Catilinam I. cap. 2. et in Antonium orat. VIII. cap. 5. Quibus L. Appuleius Saturninus seditionem movit. Is enim, cum anno superiore tribunatus competitorem, A. Nonium (de quo nomine vide annotationes nostras in cap. 17. lib. V. Orosii) adiuvante C. Mario occidisset, eaque ratione tribunus pleb. iterum factus legem agrariam per vim tulisset, in quam a singulis senatoribus iurari voluit: Q. Metello Numidico, qui unus in eam iurare noluit, diem dixit. Metellus autem, cui patriae salus dulcior quam conspectus erat, de civitate maluit quam de sententia dimoveri: et C. Mario sextum consuli et eius invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Cicero pro Balbo, cap. 5. pro Sestio, cap. 16. et in Pisonem, cap. 9. Sed cum idem Saturninus C. Memmium candidatum consulatus interfecisset, operamque daret, ut C. Servilius Glaucia, praetor, consul fieret, S. C. factum est, ut consules viderent, ne quid res publica detrimenti caperet. Itaque Saturninus et Glaucia statim sunt interfecti. Cicero pro Rabirio, cap. 7. in Catilin. I. cap. 2. Philipp. VIII. cap. 5. et in Bruto, cap. 60. Saturnini caput Rabirium quendam senatorem per convivia circumtulisse, Auctor de viris illustribus scribit, cap. 73. Quare postea Cicerone consule C. Rabirius accusatus fuit a T. Labieno, cuius patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicero pro Rabirio, Orosius lib. V. cap. 17. A Saturnino latae sunt leges Appuleiae, in quibus fuit illa, qua Saturninus C. Mario tulit, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset, de qua Cicero pro Balbo cap. 21.

Anno Urbis DCLIV. Ciceronis VIII. coss. fuerunt

M. ANTONIUS, A. POSTUMIUS ALBINUS.

De his Cicero in Orat. post reditum ad Quirites cap. 5. *Nunquam de Q. Metello C. Marius, qui erat inimicus; sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus.* Hoc tamen anno Metellus unius tribuni pl. rogatione ab exilio revocatus est, epist. 9. lib. I. ad Famil. Tribunus fuit Q. Calidius auctore Valerio lib. V. cap. 2, 7. Calidii lege Q. Metellum in civitatem restitutum fuisse Cicero quoque pro Plancio cap. 28. ait. Eodem anno tribunus pl. fuit Sex. Titius, homo seditiosus et turbulentus: cui Antonius consul restitit, ut ipse narrat lib. II. cap. 11. de Oratore; ubi de testimonio suo in Titium reum agit. Fuit enim hic Titius accusatus et condemnatus, quod L. Saturnini imaginem domi suae habuisset, ut scribit Cicero pro C. Rabirio, cap. 9. et Valerius lib. VIII. cap. 13., qui ait eum lege agraria gratiosum fuisse. Est ergo is, de quo Obsequens in Antonii et Albini consulatu haec scribit: *Sex. Titius (Sextius* in Obsequente mendose

legitur[1]) *tribunus pleb. de agris dividendis populo, cum repugnantibus collegis pertinaciter legem ferret, corvi duo numero, in alto volantes, ita pugnaverunt supra concionem, ut rostris unguibusque lacerarentur. Haruspices sacra Apollinis litanda et de lege, quae ferebatur, supersedendum pronuntiarunt.* Unde emendandus est locus Ciceronis lib. II. cap. 12. de legibus, corruptus adhuc in omnibus libris, etiam Manutianis postremis. Sic enim legitur: *quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? quid, leges non iure rogatas tollere, aut etiam decreto collegii, ut Livias consilio Philippi consulis et auguris?* in codice manuscripto pro *aut etiam,* legitur, *ut tetiam:* tu, *ut Titiam,* repone[2]: nam in eodem libro *Levias* pro *Livias* scriptum est. His consulibus C. Claudium Pulchrum eum, qui septimo anno post consul fuit, aedilem curulem fuisse ex Plinii lib. VIII. cap. 7. cognoscimus. Eum magnificentissima aedilitate functum esse Cicero lib. II. cap. 16. de Offic. ait. De eodem in Verrem VI. cap. 3. *C. Claudius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum Diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum.*

Anno Urbis DCLV. Ciceronis IX. coss. fuerunt

Q. CAECILIUS METELLUS NEPOS, T. DIDIUS.

Ab his Consulibus lata est lex Caecilia Didia, ab utriusque nomine dicta, cuius meminit Cicero pro domo cap. 16 et 20. Philipp. V. cap. 3. epist. 9. libr. II. ad Attic., ubi vulgo *Caeliam Didiam*, sicut pro Sestio cap. 64. *Aciliam Didiam* mendose legitur.[3] Huius legis duo capita fuerunt: unum, ne diversis de rebus lex ferretur: alterum, ut leges trinundino promulgarentur. Auctor Cicero locis iam citatis. Manutius in libro de legibus p. m. 199. duas leges Caecilias Didias fuisse affirmat, quem lege. Hoc ex Asconio addendum, huius Metelli consulis filium fuisse Metellum Nepotem eum, qui cum Cicerone inimicitias gessit: quem Herbestus nescio quis, errore non ferendo, eundem cum patre facit.

Anno Urbis DCLVI. Ciceronis X. coss. fuerunt

CN. CORNELIUS LENTULUS, P. LICINIUS CRASSUS.

P. Crassus pater est M. Crassi; de cuius censura ad annum DCLXIV., de interitu ad ann. DCLXVI. infra dicemus. Eius fuit domus Ciceronis, ut est in Salustii invectiva c. 2. Eodem anno censores in Tabulis Capitolinis inveniuntur L. Valerius Flaccus et M.

---

1) Etiam in Oudendorpii ed. 1720. p. 134., ubi tamen eadem emendatio in annot. proponitur.

2) Sicque nunc editur.

3) Emendatus est nunc uterque locus.

Antonius, de quibus Valerius Max. lib. II. cap. 9, 5. Cicero initio libri tertii de Oratore scribit, Antonium censorem imperatoriis manubiis Rostra ornasse.

Anno Urbis DCLVII. Ciceronis XI. coss. fuerunt

CN. DOMITIUS AHENOBARBUS, C. CASSIUS LONGINUS.

De hoc Domitio Cicero pro Deiotaro cap. 11., *Cn. Domitium*, inquit, *nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem Max. vidimus.* De eius tribunatu dixi ad annum DCL. Censor fuit anno DCLXI. Post tribunatum pontifex maximus populi suffragio creatus fuit, ut est in epitoma Liviana lib. LXVII. De eodem Cicero in Bruto cap. 45. *Hoc*, inquit, *loco ipsum Domitium non relinquo; nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam et consularem dignitatem tueretur.* His consulibus Ptolemaeum regem Cyrenarum, cui cognomen Apioni fuit, mortuum testamento heredem populum Romanum reliquisse Obsequens cap. 109. et Cassiodorus scribunt: Cicero contra Rullum II. cap. 19. *Adscribit idem auctioni Corinthios agros opimos et fertiles et Cyrenenses, qui Apionis fuerunt.*

Anno Urbis DCLVIII. Ciceronis XII. coss. fuerunt

L. LICINIUS CRASSUS, Q. MUCIUS SCAEVOLA.

De his Cic. Verr. IV. cap. 49. *Halesini pro multis et magnis suis maiorumque suorum in rem publicam nostram meritis atque beneficiis, suo iure nuper L. Licinio, Q. Mucio Coss. cum haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt.* Idem lib. III. cap. 11. de Officiis: *Esse pro cive qui non sit civis, rectum est non licere, quam tulerunt legem sapientissimi consules Crassus et Scaevola.* Hanc legem Liciniam et Muciam vocat in Bruto cap. 16., qua acerrimam de civitate quaestionem venisse, ait pro Balbo cap. 21. De eadem pro Cornelio maiestatis reo: *Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulerunt*, in quem locum Asconius (Ed. Bait. p. 67.) plura scribit. Crasso Gallia provincia obvenit, in eaque rem gessit, de qua Cicero lib. II. cap. 37. de Inventione, et in Pisonem cap. 26. Q. Mucius in Asia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui consul fuerat anno DCXLVIII. et quia publicanis nihil agere in Asia permiserat, eorum conspiratione in iudicium vocatus ab equitibus, qui tum iudicabant, damnatus est, ut scripsi in cap. 17. lib. V. Orosii. Meminit eius Cicero passim, lib. I. cap. 53. de Oratore, in Bruto, cap. 29. pro Fonteio, cap. 13. in Pisonem, cap. 39. lib. III. cap. 32. de Natura Deor. et alibi. His consulibus praetor fuit suo anno C. Claudius Ap. F. Pulcher, ut est in Verrina IV. cap. 49.

Anno Urbis DCLIX. Ciceronis XIII. coss. fuerunt

C. CAELIUS CALDUS, L. DOMITIUS AHENOBARBUS.

Caelium hunc inter novos homines numerat Cicero pro Murena cap. 8. (et Q. Cicero de pet. cons. c. 3. §. 11.). Eundem non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendisse, ut ad summos honores perveniret, ait in Verr. VII. cap. 70. De eodem Crassus libr. I. cap. 25. de Orat. *Quis non videat, C. Caelio, aequali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcunque habuit, in dicendo mediocritatem?* Hac de causa meminit eius in Bruto cap. 45. Eundem clarissimum ac fortissimum adolescentem quaestorem non esse factum, ait pro Plancio cap. 21., ubi male, *Q. Caelius* legitur.[1] L. Domitius praetor Siciliam obtinuerat, atque severitatis exemplum in pastorem, qui aprum venabulo percusserat, ediderat, quod ex Ciceronis Verr. VII. cap. 3. Valerius in cap. 3. libr. VI. transtulit.

Anno Urbis DCLX. Ciceronis XIV. coss. fuerunt

C. VALERIUS FLACCUS, M. HERENNIUS.

M. Herennius is est, qui in consulatus petitione L. Philippum superavit: de quo Cicero in Bruto cap. 45. *Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus, Latine et diligenter loquentibus, numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit;* et pro Murena cap 17. *Quis L. Philippum, summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est?* Totum annum domi forisque tranquillum fuisse Obsequens scribit cap. 112.

Anno Urbis DCLXI. Ciceronis XV. coss. fuerunt

C. CLAUDIUS PULCHER, M. PERPERNA.

Hic C. Claudius Ap. F. dicitur a Cicerone Verrina IV. cap. 49. Alii[2] non male C. F. appellare videntur: ut sit P. Clodii patruus, quem consulem fuisse Cicero in Caeliana cap. 14. ostendit. Claudii collega in fragmentis Capitolinorum Fastorum M. Perperna vocatur. *Περπέρνας* idem nominatur a Dione libr. XLI. C. 14., ubi de ipsius morte scribit. Hoc anno censor cum Cn. Domitio fuit L. Crassus: cuius censurae Cicero in libris de Oratore aliquoties mentionem facit. Hoc etiam tempore clarissima illa M'. Curii et M. Coponii causa apud Centumviros a duobus consularibus atque aequalibus L. Crasso et Q. Scaevola defensa est, paullo ante quam Cicero in forum venit, ut testatur ipse pro Caecina cap. 18. Meminit eiusdem

---

1) Emendavit iam Manutius.

2) Ut v. c. Lallemand et Fasti Capitolini Piranesii e supplemento; Zumptius retinuit *Appii filius.*

lib. I. cap. 39. et 56. seq. et II. cap. 32. de Oratore, et in Bruto cap. 39. et 52., unde causam talem fuisse cognoscimus: Coponius in testamento postumum heredem scripserat: eique, si antequam in tutelam suam veniret, mortuus esset, Manium Curium substituerat; cum postumus natus non esset, M. Coponius heres legitimus ad se hereditatem pertinere contendit, negavitque Scaevola Coponii patronus, nisi postumus et natus et antequam in suam tutelam veniret, esset mortuus, heredem eum esse posse, qui postumo et nato et mortuo esset substitutus. Crassus, qui Curium defendebat, contendit, testatorem hac mente fuisse, ut si filius non esset, qui in tutelam veniret, Curius heres esset, idque omnibus probavit.

Anno Urbis DCLXII. Ciceronis XVI. coss. fuerunt

L. MARCIUS PHILIPPUS, SEX. IULIUS CAESAR.

L. Philippus is est, quem a M. Herennio prius superatum fuisse diximus. De eodem Cicero lib. II. cap. 17. de Officiis: *L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, inprimisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima.* Hic annus decimus sextus terminus est pueritiae Ciceronis, in qua, ut Plutarchus c. 2. scribit, cum eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium eius ita eluxit, tantumque nominis et gloriae inter pueros habuit, ut eorum parentes visendi Ciceronis cognoscendaeque celebratae celeritatis in discendo gratia ad ludum venirent. Pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant: de quo honore Plutarchus in Praeceptis civilibus, et Ovidius lib. V. v. 67. Fastorum:

Et medius iuvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat: et interior, si comes unus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis ac plane ipsum eiusmodi natura fuisse ait, qualem Plato lib. V. de Rep. in philosopho et homine docili requirit. Ubi Socrates ita concludit, *οὐκοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι οὐ τῆς μιᾶς, τῆς δ' οὔ, ἀλλὰ πάσης*, id est, *Igitur et philosophum dicemus sapientiae amatorem esse, non unius alicuius, sed universae.* Puer Cicero, cum poësi inprimis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris composuit, quem sua etiamnunc aetate exstitisse Plutarchus ait. Aeschylus *ἐν τῷ Ποντίῳ Γλαύκῳ* a Strabone, Athenaeo et aliis citatur.

Hoc anno tribunus pleb. M. Livius Drusus, cum senatui priscum restituere cuperet decus, et iudicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia iudicabant, ad eum transferre ordinem, in iis ipsis, quae pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, inquit Velleius lib. II. cap. 13. Cum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus infringi iam ac debilitari videretur, ludorum Romanorum diebus, quos a pridie Non. usque ad Idus Septemb. fuisse ex veteri Kalendario cognoscitur, Crassus se cum C. Cotta et P. Sulpicio in Tu-

sculanum contulit: quo cum primum Q. Scaevola et M. Antonius, deinde Q. Catulus et C. Iulius Caesar venissent, habita fuit disputatio de Oratore, quam Cicero postea tribus libris complexus est, seque tum adhuc puerum fuisse, ait lib. XIII. ep. 19. ad Att. Idibus Septembribus senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit, ibique permulta vehementissima contentione animi, ingenii, virium a L. Crasso dicta sunt: dicenti latus condoluit sudorque multus consecutus est; ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo est lateris dolore consumptus. Cicero lib. I. cap. 7. et lib. III. cap. 1. et 2. de Oratore. Drusus quoque, sociis et Italicis populis spe civitatis Romanae sollicitatis, cum e foro cinctus immensa multitudine revertisset, in atrio domus suae cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Velleius, lib. II. cap. 14. et Livius Ep. libr. LXX. Cicero quoque libr. III. cap. 32. seq. de natura deorum ait, Drusum domi suae ferro a Q. Vario interfectum esse, et pro Milone cap. 7. *Tribunus pleb. M. Drusus occisus est: nihil de eius morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est.* Petiit eodem tempore tribunatum pl. C. Cotta is, qui anno post Rom. cond. DCLXXVIII. consul cum L. Octavio fuit, sed paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate, lib. III. cap. 3. de Oratore. Reus enim lege Varia factus, venit in iudicium: cumque res suas gestas extulisset et equites palam insectatus esset, antequam sententiae de ipso ferrentur, Urbe cessit. Appianus Civ. I, 37. Crasso mortuo, Cotta pulso Cicero in forum venit, ut ipse testatur in Bruto cap. 88. Unde cognoscitur, M. Tullium anno sequente, cum iudicia bello Italico intermissa essent, sumpta virili toga in forum venisse. Deducebantur enim tum in forum adolescentes a patre vel a propinquis, ut essent fori auditores et sectatores iudiciorum, qua de re Tacitus in Dialogo de Oratoribus cap. 34. Meminit Cicero pro Caelio cap. 4. et ep. 10. libr. XIII. ad Famil. Filius etiam, qui togam virilem sumebat, a patre et propinquis in forum deducebatur; ut Plutarchus in Bruto de Cassii filio scribit, et togam virilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat. Dio lib. XLV. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν vocat. Hanc togam Latini etiam puram et Graeci ἀπόρφυρον nominant. Dabant etiam suis liberis Romani decimo sexto fere anno. Sic enim Suetonius in Augusto cap. 8. *Quadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens, aviam Iuliam defunctam pro concione laudavit: quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Caesaris Africano donatus est, quamquam expers belli propter aetatem.* Sic M. Tullius suo filio, quo auctus fuit Caesare et Figulo coss. anno DCLXXXIX., togam puram dedit Lentulo et Marcello coss. anno DCCIV. ep. 1. lib. I. et ep. 20. lib. IX. ad Att. Adolescentes eo ipso die, quo togam virilem sumebant, in Capitolium ascendisse argumento est, quod Valerius libri V. cap. 4, 4. de M. Cotta scribit, de quo Dio libr. XXXVI. C. 23. Hoc anno multis prodigiis bellum Italicum significatum fuit: quae Sisenna initio belli Marsici exposuit, auctore Cicerone libr. I. de Divinat. c. 44. Eadem

referuntur ab Obsequente c. 114. et Orosio libro V. cap. 18. Tum haruspices Italici belli funesta illa principia non obscure praedixerunt. Cicero de harusp. resp. cap. 9.

Anno Urbis DCLXIII. Ciceronis XVII. coss. fuerunt

L. IULIUS CAESAR, P. RUTILIUS LUPUS.

Horum consulum Cicero lib. I. de Divinat. cap. 2. his verbis meminit: *Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae Balearici filiae somnio*; et paullo post: *Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum.* Nam his consulibus, ut Paterculus L. 2. C. 15. scribit, ortum est bellum, quod, quia a Marsis primum commotum fuit, *Marsicum* est dictum, ut Strabo lib. V. scribit: atque ita vocatur a Cicerone etiam Phil. VIII. cap. 10. et orat. II. cap. 33. contra Rullum, ubi idem, sicut et Verrina IV. cap. 2. pro Cluentio cap. 7., pro Archia cap. 4. et de Haruspicum resp. cap. 9. *Italicum* nominatur. Idem a Cicerone pro Fonteio cap. 14. *Sociale*, a Diodoro, Plutarcho et Appiano *Μαρσικὸς* et *συμμαχικὸς πόλεμος* dicitur. Defecerunt eo bello finitimi ac vicini, ut Cicero pro Sulla cap. 20. ait. Tu vide Orosium nostrum cap. 18. lib. V. Gestum est hoc anno et proximo sequente ab ipsis consulibus. Hinc Cicero pro Fonteio cap. 15. *Recordamini, quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit.* Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero in Bruto cap. 89. scribit: *Erat Hortensius in bello primo anno miles, altero tribunus militum.* Hoc tempore, ut ibidem Cicero ait, iudicium exercebatur una lege Varia. Tulerat eam Q. Varius adversus intercessionem collegarum, annitentibus equitibus, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum R. arma sumpsissent. Asconius in orat. pro Scauro (Ed. Bait. p. 22.), Valerius lib. VIII. cap. 6, 4. Appianus Bell. Civ. I, 37., cuius libri mendose *Κόϊντον Οὐαλέριον* pro *Q. Vario* edunt. [1] Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebraeque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob eius tristitiae occasionem senatus decrevit, ne iudicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Asconius pro Cornelio Ed. Bait. p. 73. Tum Cicero, ut ipse in Bruto cap. 89. ait, quotidie et scribens et legens et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non erat. Quare, cum idem auctore Quintiliano lib. X. cap. 3, 1. in disputationibus de Oratore iudicium suum cum Crassi auctoritate coniunxerit, non dubium est, quin ipse Tullius suas exercitationes lib. I. de Oratore cap. 34. sub Crassi persona ita significaverit: *In quotidianis cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem*

1) Correxit, monente etiam Pighio, Schweighaeuserus.

comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis hoc assequebar, ut, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea. Tum igitur Cicero admodum adolescentulus, ut est lib. II. de natura Deorum, cap. 41., Arati carmina de caelo stellisque convertit, quorum fragmenta exstant. *Marium* quoque illis temporibus, cum Scaevola viveret, (qui de eo dixit, *Canescet seclis innumerabilibus,*) scripsit: cuius a se scripti meminit lib. I. de legib. cap. 1. lib. I. de Divinat. cap. 48. et lib. XII. ad Att. ep. 48. De Mario aliter Corradus: quem lib. I. de legibus refellit. Extremo hoc anno L. Iulius Caesar cos. legem Iuliam de civitate tulit: qua lege civitas est sociis et Latinis data, ut Cicero pro Balbo cap. 8. ait.

Anno Urbis DCLXIV. Ciceronis XVIII. coss. fuerunt

CN. POMPEIUS STRABO, L. PORCIUS CATO.

Hoc anno primum senatores cum equitibus Rom. lege Plotia iudicarunt, cuius Cicero pro Cornelio meminit, et Asconius, eum locum interpretans, scribit Ed. Bait. p. 79., his consulibus M. Plautium Silvanum tribunum pl. eam legem tulisse. Tulit idem legem Plotiam de vi, de qua Cicero pro Milone, cap. 13. de Harusp. resp. et alibi. De eodem hoc anno Cicero in Bruto, cap. 89. *Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat, ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae, P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat.* Atque hic est Q. Mucius Augur, ad quem, sumpta virili toga, Cicero a patre ita erat deductus, ut quoad posset et liceret, a senis latere nunquam discederet; quod ipse in Laelio cap. 1. scribit.[1] Sed cum Q. Scaevola Augur, qui cum L. Metello consul fuit anno Urbis DCXXXVI., in monumentis antiquis Q. F. dicatur: videndum, an patris praenomen in Ciceronis libris sit depravatum; nam Scaevolam Pontificem, quem Corradus et alii viri docti significari putant, intelligi non posse, inde constat, quod Cicero se ad Pontificem, non nisi Augure mortuo, contulit.[2] Augur autem non solum hoc, verum etiam sequente anno superstes fuit, ac tum Ciceroni sermonem Laelii de amicitia exposuit, ut e Laelio M. Tullii perspicuum est. De eodem Augure Cicero haec Philippica VIII. cap.

---

1) Notandum item quod de M. Scauro patre praedicat Cicero: *Non tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, sed etiam praecipue dilexi. Primum enim me flagrantem studio laudis in spem impulit posse virtutem sine praesidio fortunae, quo contendisset, labore et constantia pervenire.* Pro Scauro 1, 4a.

2) Ut Fabricius, etiam Wetzelius in Bruti cap. 89. §. 306. malebat *Q. F.* Vide tamen Ellendtium.

10. *Ego Q. Scaevolam Augurem memoria teneo bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simulatque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; senexque et debilis primus veniebat in curiam.* Plutarchus cap. 3. scribit, Ciceronem bello Marsico aliquamdiu sub Sulla militasse. Apud Sullam legatum se fuisse, cum ille hoc anno ante oppidum Nolam fortissima Samnitium castra cepit, ipse Cicero lib. I. cap. 33. de Divinatione scribit. De hac sua militia etiam Philipp. XII. cap. 11. haec memoriae prodidit: *C. Pompeius Sex. F. consul, me praesente, cum essem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone, duce Marsorum, inter bina castra collocutus est.* Hoc anno censores fuerunt P. Licinius Crassus et L. Iulius Caesar: quibus censoribus nullam populi partem esse censam, Cicero ait pro Archia cap. 5.

Anno Urbis DCLXV. Ciceronis XIX. coss. fuerunt

L. CORNELIUS SULLA, Q. POMPEIUS RUFUS.

De hoc anno Cicero in Bruto c. 89. *Atque huic anno proximus, Sulla consule et Pompeio, fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. — Sulpicium ab optima causa profectum, Caioque Iulio consulatum contra leges petenti resistentem, longius, quam voluit, popularis aura provexit,* ait idem de Resp. Harusp. cap. 20. Dissidebat enim capitali odio a Q. Pompeio consule, quicum coniunctissime et amantissime vixerat, in Laelio cap. 1. cumque auctore Mario perniciosas leges (quas per vim latas Sulla dicebat, ut est Philipp. VIII. cap. 2.) promulgaret, ac Pompeii consulis filium, Sullae generum occidisset, Sulla cum exercitu in urbem venit, ex eaque Sulpicii et Marii factionem expulit, Livius libro LXXVII. et alii. Tum Sulla P. Sulpicium oppressit, eique ferro erepta vita est: Cicero in Catilin. III. cap. 10. et lib. III. cap. 3. de Oratore. Marius primo senile corpus, paludibus demersus, occultavit: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugit: inde navigio perparvo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissimas pervenit, ait Cicero pro Sestio cap. 22. Historiam pleniorem apud Plutarchum, Appianum, Velleium lib. II. cap. 19. et in Epitoma Livii invenies. De eodem Cicero post reditum ad Quirites: cap. 8. *C. Marium egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, cum careret patria, quam obsidione liberavisset: cum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret: cum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conservasset: cum parva navicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset.* Et in Pisonem cap. 19. *C. Marium Italia servata ab illo demersum in Minturnensium paludibus, Africa devicta ab eodem expulsum et naufragum vidit.*

Dum haec in Italia geruntur, interim Mithridates rex Ponti, Ariobarzane et Nicomede amicis populi Rom. exactis Cappadocia atque Bithynia, Asiam intravit, unaque die tota Asia tot in civitatibus, uno nuntio atque una litterarum significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit, Cicero in Maniliana, cap. 3. Livius lib. LXXVIII. Valerius lib. II. cap. 2. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico. Atque haec est illa universorum civium Romanorum per tot urbes uno puncto temporis misera crudelisque caedes, quam Cic. pro Flacco cap. 25. nominat. Hanc vero crudelitatem Mithridatis in togatos P. Rutilius Rufus, cum a rege Mytilenis oppressus esset, vestis mutatione vitavit, ut est in orat. pro Rabirio Postumo cap. 10. Idem in Maniliana cap. 5. ait: Mithridatem tum legatum populi Rom. consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necasse. Intelligit autem M'. Aquillium consulem anni DCLII. de quo, praeter Appianum, Iustinus lib. XXXVIII. c. 3. Athenaeus lib. V. Dipnosoph. c. 50. Cicero etiam hac de causa M'. Aquillii mentionem facit Tuscul. V. cap. 5. Urbs Rhodus sola tum in fide mansit, atque oppugnata fuit, ut est in epitoma Livii lib. LXXVIII. Unde Cicero in Verr. IV. cap. 65. ait: Rhodios prope solos bellum illud superius cum Mithridate gessisse, omnesque eius copias acerrimumque impetum moenibus, littoribus classibusque suis excepisse. Eodem tempore, cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei se Cicero tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, ut ipse in Bruto cap. 89. ait. Hinc Plutarchus cap. 3. scribit, Ciceronem, cum e pueris excessisset, Philonem Academicum audivisse: quem inter Clitomachi discipulos Romani in primis et propter doctrinam admirabantur, et propter morum mansuetudinem diligebant. Philonem igitur Cicero lib. I. cap. 2. de Natura Deor. inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit; de eodem in Lucullo cap. 6. *Iam Clitomacho Philo noster operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiae non defuit.* Phaedrus quoque Ciceroni, cum puer esset, antequam Philonem cognovisset, valde ut philosophus probatus fuit, epist. 1. lib. XIII. ad Famil. Merito igitur lib. I. cap. 3. de Natura D. scripsit, non mediocrem se a primo tempore aetatis in philosophiae studio operam curamque consumpsisse: in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur; ut ait in Bruto cap. 80. Hoc etiam anno, ut iam rettulimus, Q. Mucius Augur Laelii de amicitia sermonem habitum ab illo paucis diebus post mortem Africani, Aquillio et Tuditano consulibus, anno DCXXIV. Ciceroni exposuit. Augure mortuo Cicero se ad Q. Scaevolam pontificem contulit: cui rei publicae et senatus principi cum operam daret, peritus iuris evasit, ut Plutarchus cap. 3. scribit. Unde Atticus lib. I. cap. 4. de Legg. Tullium his verbis affatur: *Nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem; neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius civile contemneres;* et Brutus de claris Orator. cap. 40. *Tu mihi videris tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset*

oratori. Q. Scaevola Pontifex, seu, ut Appianus eum nominat B. Civ. I, 88., *Μούκιος Σκαιόλας ὁ τὴν μεγίστην Ῥωμαίοις ἱερωσύνην ἱερωμένος*, is est, quem supra consulem cum L. Crasso fuisse anno ab U. C. DCLVIII. scripsimus: de cuius morte dicemus ad annum DCLXXI.

Anno Urbis DCLXVI. Ciceronis XX. coss. fuerunt

CN. OCTAVIUS, L. CORNELIUS CINNA.

Hoc anno Cinna consul, cum perniciosas leges per vim ferret, Urbe a Cn. Octavio collega pulsus est: Livius lib. LXXIX. Unde Cicero in Catil. III. cap. 10. *Cn. Octavius consul armis ex Urbe collegam suum expulit: omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit.* Atque ita bellum Octavianum commotum est: cuius meminit Cicero lib. I. de Divin. cap. 2. et lib. II. cap. 5. de Natura Deorum. *Tum*, inquit, *stellis iis*, *quas Graeci* cometas, *nostri* crinitas *vocant*, *quae nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae.* Vide Plinium lib. II. cap. 25. Dissensionis inter Octavium et Cinnam meminit Cicero etiam de haruspicum resp. cap. 25. Cinna Urbe pulsus, corruptum App. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, ut Livius lib. LXXIX. scripsit. App. Claudio, P. Clodii patri, imperium hoc tempore abrogatum fuisse Cicero pro domo cap. 31. ait. Tum Marius cum reliquis exsulibus ex Africa arcessitus, cum in urbem recepti essent, eam velut captam caedibus et rapinis vastarunt: qua de re Orosius lib. V. cap. 19. et ego in eum locum. Hinc Cicero post red. in senatu cap. 15. ait, C. Marium reditu suo senatum cunctum paene delevisse. Tum Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius, trium aetatum oratores tres, sunt crudelissime interfecti: Cicero in Bruto cap. 89. Et Marius quidem Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit: postea vero civili bello victor iratus, necessariis Q. Catuli deprecantibus non semel respondit, *Moriatur.* Idem Tuscul. V. cap. 19. et Cotta lib. III. cap. 32. de Natura Deorum: *Cur tot civitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum praestantissima dignitate virum mori potuit iubere?* M. Antonii in iis ipsis Rostris, in quibus ille rem publicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita conservata: lib. III. cap. 3. de Orat. et Tuscul. V. cap. 10. *Cinna collegae sui consulis Cn. Octavii praecidi caput iussit*, *P. Crassi*, *L. Caesaris*, *nobilissimorum hominum*, *quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita*, *M. Antonii omnium eloquentissimi*, *quos audierim*, *C. Caesaris*, *in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis*, *salis*, *suavitatis*, *leporis.* De his omnibus vide prooemium lib. III. de Orat. De P. Crasso Cicero pro Sestio, cap. 21. *In qua civitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi*, *fortissimum virum*, *ne videret victorem vivus inimicum*, *eadem sibi manu vitam exhau-*

sisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset. de eodem pro Scauro, et ibi Asconius Ed. Bait. p. 23. Hoc anno M. Tullius Moloni Rhodio Romae dedit operam, et actori summo causarum et magistro, ut ait in Bruto cap. 89.; de quo Molone Plutarchus in Cic. cap. 4. et Caesare, Strabo lib. XIV. p. 655. Quintilianus lib. III. cap. 1. et Suetonius in Iulio Caesare cap. 4. Molonem rhetorem studia M. Ciceronis acuisse, ait etiam Valerius Max. lib. II. cap. 1. Circa hoc tempus Cicero adolescens commentarios rhetoricos de Inventione inchoatos et rudes edidit: quod ipse initio lib. I. de Oratore, et Quintilianus lib. III. cap. 1. significant.

Post hunc annum triennium fere urbem sine armis fuisse, Cicero in Bruto cap. 90. ait: quo, Sulla bellum Mithridaticum gerente, (de quo Plutarchus et Appianus,) Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsederunt, ut scribit Velleius lib. II. cap. 24. n. 4.

Anno igitur ab U. C. DCLXVII. Ciceronis XXI. coss. fuerunt

L. CORNELIUS CINNA II., C. MARIUS VII.

Marius, quem Cicero pro Plancio cap. 21. duabus aedilitatis acceptis repulsis, septies consulem esse factum ait, editis multis sceleribus, Idibus Ianuariis decessit, Livius lib. LXXX. De eius morte sic Cic. lib. III. cap. 33. de Natura Deorum: *Cur Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus?* Mario suffectus est L. Valerius Flaccus, pater illius Flacci, pro quo Ciceronis oratio exstat. Huic, cum a Cinna missus, ut Sullae ad bellum Mithridaticum succederet, in Asiam traiecisset, consuli portas tota Asia clausit: Cicero pro Flacco cap. 25. Anno sequente idem a C. Fimbria legato suo consularis interfectus est, Velleius lib. II. cap. 24. Livius lib. LXXXII. Strabo lib. XIII. Hoc anno censores in tabulis Capitolinis inveniuntur L. Marcius Philippus, M. Perperna, quorum Verrina III. cap. 55. in lege Verris mentio fit ita: *Qui de L. Marcio, M. Perperna censoribus redemerit, eum socium ne ei admittito.* De Marcio item Cicero pro domo cap. 32. ait: *L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu; nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quae erant acta in ea re publica, in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset.* Hi sunt superiores illi censores, quibus Archiam cum L. Lucullo quaestore fuisse in Asia Cicero pro Archia cap. 5. ait. Lucullus enim hoc tempore quaestor in Asia permultos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit, ut Cicero in Luculli principio scribit. Lucullum vero in Graecia fuisse ante, quam Sulla eo veniret, ex Plutarchi Sulla cognoscitur. Sulla quoque ex Asia decedente, Lucullus ibi mansit, ut infra dicemus.

Proximo biennio, quo comprehenditur annus Urbis DCLXVIII. et DCLXIX. Ciceronis XXII. et XXIII. consules a se creati rem publicam tenuerunt

L. CORNELIUS CINNA III., CN. PAPIRIUS CARBO.

Qua ratione M. Tullius hoc triennium, quo Urbs fere sine armis fuit, traduxerit, ipse in Bruto cap. 90. his verbis exponit: *Ego*, inquit, *hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus: a quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est; sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti, te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse.* Hactenus Cicero, qui hunc Diodotum lib. I. cap. 3. de Nat. Deor. primo loco numerat inter eos philosophos, a quibus institutus fuit. De eodem in Lucullo cap. 36. *Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem et admiror et diligo.* et ep. 16. lib. XIII. ad Fam. *Apollonius domi meae cum Diodoto, Stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multum a puero fuit.* Eiusdem meminit ep. 4. lib. IX. ad Fam.; de quo loco etsi Hadriani Turnebi et Petri Rami, praeceptorum meorum, quos, ut ipsorum dignitas poscit, honoris gratia nomino, sententiae aliquando nonnihil discreparunt, res tamen ipsa ex vera huius nominis scriptura, quam Victorius, Manutius et Lambinus, viri doctissimi, e vetustis libris ediderunt, iam extra controversiam est. De eodem Cicero Tuscul. lib. V. cap. 39. *Diodotus Stoicus, caecus, multos annos nostrae domi vixit; is vero, quod credibile vix esset, cum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versaretur; et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur cumque ei libri noctes et dies legerentur: (quibus in studiis oculis non egebat) tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur, verbis praecipiens discentibus, unde, quo quamque lineam ducerent.* Mortuus fuit Caesare et Bibulo coss. anno ab U. C. DCXCIV. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratorib. cap. 30. ait, Ciceronem apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse. Addit Cicero in Bruto cap. 90. *Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset; commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem neque doceri.* Ciceronem ad praeturam usque Graece declamasse, auctor est Suetonius de claris rhetoribus cap. 1. Circa hoc tempus Cicero, cum *Aratum* iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis *Oeconomico* lusit: ut scribit Hieronymus in praefatione in Euseb. Chron. Ipse

Cicero libro II. extremo de officiis ad filium viginti annos natum ita scribit: *Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur; quem nos ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus.* Divisit autem Cicero unum Xenophontis librum in tres, ut Servius in primum Georgicorum v. 43. testatur. Quin etiam libros Platonis Cicero hoc genere tralatos edidit, inquit Fabius lib. X. cap. 5. *Timaei* pars cum maximo bono studiosorum utriusque linguae exstat. *Protagoram* ab eo conversum fuisse Hieronymi, Prisciani et Donati testimoniis tantummodo scimus. Id tamen Ciceronem potius extremo tempore aetatis quam hoc fecisse putamus. Carbonis in secundo consulatu quaestor fuit C. Verres, Cic. Verrina III. cap. 4. et 13. Tum Sulla, pace cum Mithridate facta, Asiam in quadraginta quattuor regiones distribuit, auctore Cassiodoro. Cum autem Sulla omnes Asiae civitates pro portione in provincias descripsisset, vectigal quoque iis, quod aequaliter penderent, descripsit: Cic. pro Flacco cap. 14. et ep. 1. lib. I. ad Q. fratrem c. 11. §. 33. Sed Sullam in Italiam revocavit res publica, ait pro lege Manilia cap. 3.

Anno Urbis DCLXX. Ciceronis XXIV. coss. fuerunt

L. CORNELIUS SCIPIO ASIATICUS, C. NORBANUS BULBUS.

Horum consulum meminit Cic. pro Quintio cap. 6., ubi etiam (sc. cap. 7.) C. Valerium Flaccum imperatorem hoc anno in Gallia ulteriore fuisse ait. Cuius Flacci mentionem Caesar lib. I. cap. 47. de bello Gallico facit. Scipionis quaestorem M. Pisonem, de quo paullo ante, fuisse, ex Verrina III. cap. 14. cognoscitur. Hoc tempore tumultus ille pro recuperanda re publica ortus est: de quo Cic. in Bruto cap. 90. Nam Sulla compositis transmarinis rebus in Italiam venit et C. Norbanum proelio vicit, de quo diximus in cap. 20. lib. V. Orosii. Tum Cn. Pompeius, adolescentulus privatus, exercitum difficili rei publicae tempore confecit, eique praefuit et rem optime ductu suo gessit: Cic. in Maniliana cap. 21. Eodem pertinet illud in Phil. V. cap. 16. *Pompeius ad L. Sullae maximum imperium victoremque exercitum accessit:* vide Plutarchum et alios. Sulla vero cum Scipione inter Cales et Teanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi et de iure civitatis, legis inter se conditiones contulerunt[1], inquit Cic. Phil. XII. cap. 11.; sed cum res convenire non posset et Sulla Scipionis castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis signa ad Sullam transtulit; Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Haec Livius lib. LXXXV. Itaque Scipio, fluctibus rei publicae expulsus, Massiliae postea in exsilio vixit: Cic. pro Sestio cap. 3. Hoc anno Capitolium incensum fuit: cuius meminit Cic. in Catil. III. cap. 4. et Dionysius Halicarnasseus lib. IV. Tu lege Plutarchum in Sulla, et Augustinum cap. XXIV. lib. II. de Civit. Dei.

---

1) Vide cap. 11., ubi vulgo sic legebatur pro *leges inter se conditionesque contulerunt.*

Anno Urbis DCLXXI. Ciceronis XXV. coss. fuerunt

C. MARIUS C. F., CN. PAPIRIUS CARBO III.

Horum consulum mentio est apud Ciceronem contra Rullum orat. III. cap. 2. Hoc anno, cum a Marianis Urbs etiamnum teneretur, L. Damasippus, praetor, ex voluntate C. Marii, consulis, cum senatum contraxisset, omnem, quae in Urbe erat, nobilitatem trucidavit: Livius lib. LXXXVI. Tunc interfectus fuit C. Carbo consulis frater, de quo Cic. epist. 21. lib. IX. ad Famil. Periit tum quoque P. Antistius, Cn. Pompeii socer, de quo Cicero in Bruto cap. 90., et Q. Scaevola pontifex maximus, quem Livius lib. LXXXVI. scribit in vestibulo aedis Vestae occisum fuisse. Hinc Cic. lib. III. cap. 32. de Natura Deorum: *Temperantiae prudentiaeque specimen, ante simulacrum Vestae pontifex max. est Q. Scaevola trucidatus;* meminit eiusdem lib. III. cap. 3. de Orat. Tandem Sulla, fuso Carbonis exercitu, in Urbem venit eoque tempore eius immanis crudelitas in cives exstitit, de qua Cicero lib. II. cap. 8. de Officiis, et Orosius lib. V. cap. 21. Tum Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a senatu missus, Carbonem consulem captum interfecit, Livius lib. LXXXIX., Plutarchus in Pompeio et alii; de quo Cicero epist. 21. lib. IX. ad Fam. *Hoc vero, qui Lilybaei a Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo meo iudicio fuit;* atque ita Pompeius Siciliam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit: Cicero in Maniliana, cap. 11. Eodem tempore L. Licinius Murena, pater eius, quem Cicero defendit, a Sulla cum duabus legionibus in Asia relictus, bellum Mithridaticum renovavit: de quo Appianus in Mithridatico. Murena vero Mithridatem *vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit,* ut ait Cicero pro Murena cap. 15. et addit cap. 5. *filium viro fortissimo parenti suo magno adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuisse.* Lucullum autem quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiae pace consumpsisse idem in Lucullo cap. 1. scribit. Extremo hoc anno Sulla effecit, ab interrege ut dictator diceretur, ait Cicero ep. 18. lib. IX. ad Att. Quomodo id effecerit, copiose Appianus et Plutarchus scribunt. Interrex fuit L. Valerius Flaccus, de quo Cic. orat. III. cap. 2. contra Rullum: *Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecunque ille fecisset, essent rata.* De eadem lege lib. I. cap. 15. de legibus: *Nihilo credo magis illa iusta est, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere.* Itaque Sulla dictator, qui tum sine dubio habuit regalem potestatem, ut est in orat. de Harusp. resp. cap. 25., omnes, quos oderat, morte multabat: pro Ligario cap. 4. De proscriptione Sullana Orosius noster cap. 21. lib. V. Etsi autem Sulla dictator post C. Marium et Cn. Papirium fuit, ut ait Cicero orat. III. cap. 2. contra Rullum, consules tamen creari permisit.

Anno Urbis DCLXXII. Ciceronis XXVI. coss. fuerunt

M. TULLIUS DECULA, CN. CORNELIUS DOLABELLA.

De his consulibus Cicero orat. II. cap. 14. contra Rullum: *de quibus vendendis S. C. facta sunt M. Tullio, Cn. Cornelio Coss.* Sulla dictator hoc tempore legibus novis rei publicae statum confirmavit, ut est in epitoma Liviana LXXXIX. Recuperata re publica et legibus atque iudiciis constitutis, Cicero ad causas et privatas et publicas adire coepit, in Bruto, cap. 90. Itaque his consulibus, ut Gellius lib. XV. cap. 28. scribit, M. Cicero causam privatam pro Quintio apud Aquillium Gallum iudicem dixit.[1] Praetorea in Eusebii Chronico ita legitur: *XXVI. anno aetatis Cicero Quintium defendit.* Idem cognoscitur ex ipsa causae expositione, quae talis est: Sex. Naevius ante biennium, Scipione et Norbano coss., cum P. Quintius prid. Kal. Febr. in Galliam profectus esset, a P. Burrieno praetore possessionem bonorum Quintii, a quo sibi pecuniam deberi et vadimonium desertum dicebat, ex edicto postulavit: missus in possessionem Naevius, cum bona absentis Quintii dies XXX. possedisset, ea proscribi iussit. Tum Sex. Alfenus, procurator Quintii, auctionem impedire conatur, seque paratum esse iudicio absentem defendere profitetur. Naevius postulat, ut Alfenus iudicatum solvi satisdet: quod cum ille recusaret eoque nomine tribunos appellasset, convenit, ut Idib. Septembr. Quintium sisti Alfenus promitteret. Venit Romam Quintius ad vadimonium. Naevius annum et sex menses, hoc est, ab Idibus Septembr. Scipione et Norbano coss. usque ad Idus Martias huius anni, nihil petit. Tum demum in ius ventum ad P.[2] Dolabellam praetorem; ibi Naevius petiit, ut Quintius iudicatum solvi satisdaret: quod cum is recusaret, Dolabella decrevit, ut Quintius aut satisdaret aut sponsionem faceret, Ni bona sua ex edicto possessa non essent. Sponsione facta C. Aquillius iudex datus est: apud quem Cicero contendit, Quintii bona ex edicto a Naevio possessa non esse. Vides igitur aperte, Quintii causam hoc anno a M. Tullio defensam esse post Idus Martias. Nam quod Cicero ait rem iacuisse in controversiis biennium, oratorum more elate dictum est: et si quis velit calumniis Naevii rem in biennium ductam fuisse, hoc quidem certe omnes fateri necesse est, post Idus Sept., quae hoc anno, non quae Sulla et Metello coss. anno insequente fuerunt, (ut Corradus res nescio quas agens scripsit) hanc causam actam esse. Quod vero et Corradus opinatur et non nemo affirmat, Quintium defensum post dictatorem Sullam, eo quod Cicero dicat, *Emisti bona Sex. Alfeni L. Sulla dictatore vendente;* leve admodum est. Cur enim in iudicio privato hoc eloqui ausus non fuisset? aut quis praestabit ab oratoribus omnia dicta vel eo modo acta fuisse, quo postea scripta sunt et edita?

Sulla dictatore Cicero iterum se Moloni, qui legatus ad senatum

---

1) Alias iam ante Quintianam causas a Cicerone actas esse patet ex C. 1. §. 4. *ita, quod mihi consuevit in ceteris causis esse adiumento, id quoque in hac causa deficit.* De tempore huius et Roscianae orationis cfr. etiam Ferratium Epp. p. 232.

2) *Cn.* vocant meliores. Gron.

de Rhodiorum praemiis venerat, operam dedisse, ait in Bruto cap. 90. Hoc quoque tempore Cn. Pompeius, bello in Africa maximo confecto, victorem exercitum deportavit: ut ait Cicero pro lege Manilia cap. 21. Intelligit autem bellum gestum cum Domitio et Hierta Numidiae rege, quo de Orosius libro V. cap. 21.: atque ex Africa Pompeius adhuc eques triumphavit. Miror autem Eutropium lib. V. extr. scribere, Pompeium tunc quartum et vigesimum annum egisse, cum M. Tullii aequalis fuerit, ut ex Ciceronis Bruto cap. 68. et Velleio lib. II. cap. 53. notum est, et nos supra ad a. DCXLVII. admonuimus. Eodem tempore L. Sulla Murenam ex Asia revocavit, ut ait Cic. in Maniliana cap. 3. Murena reversus amplissime atque honestissime ex praetura triumphavit: in Orat. pro Murena cap. 7.

Anno igitur ab U. C. DCLXXIII. Ciceronis XXVII. coss. fuerunt

L. CORNELIUS SULLA FELIX II., Q. CAECILIUS METELLUS PIUS.

Horum consulum meminit Cicero Verrina tertia cap. 50. et Gellius libro XV. cap. 28., ubi scribit, Ciceronem his consulibus Sex. Roscium parricidii reum defendisse: et addit, Fenestellae errorem notatum fuisse a Pediano, quod scripsisset Ciceronem sexto et vigesimo aetatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Quem Fenestellae errorem Corradum aliosque viros doctos potius amplecti, quam Asconii et Gellii auctoritatem sequi, equidem miror: cum praesertim Quintilianus libro XII. cap. 6. scribat, Ciceronem sex et XX. annos natum pro Sex. Roscio dixisse; eos vero ante III. Nonas Ianuarias huius anni natus non fuit. Egit tamen opinor hanc causam in principio anni. Nam, ut ex oratione ipsa intelligitur, in lege de proscriptione erat, ut anno superiore ad Kal. Iunias proscriptiones venditionesque fierent: c. 44. Roscius autem pater aliquot post menses Romae occisus est, ibid.; eaque res quatriduo ad Chrysogonum in castra Sullae Volaterras (quod oppidum obsessum Sulla in deditionem accepit. Livius libr. LXXXIX.) delata est cap. 7. et 37. Bona Roscii tamquam proscripti ideoque occisi, (ut Plutarchus tradit) Sulla hastae subiecit, et Chrysogonus eius libertus duobus milibus nummum emit; cum iam proscriptionis mentio nulla fieret, cum etiam, qui antea metuerant, redirent ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur, cap. 8. Sed cum filius idemque heres Roscii bona patris ita vendita esse aegre ferret eaque sexagies esse demonstraret, Sulla coargui se graviter tulit et Roscii filii nomen opera Chrysogoni de parricidio deferendum curavit, cap. 10. Cum Roscii patrocinium ob Sullae metum nemo susciperet, adolescens ab omnibus desertus ad Ciceronem confugit; quem amici quoque ad reum defendendum cohortabantur, cum aliud splendidius aut praeclarius gloriae initium habere non posset. Cicero igitur adolescens contra L. Sullae dominantis opes Sex. Roscium Amerinum defendit, lib. II. cap. 14. de Officiis. Defensionis capita tria sunt: in primo parricidii crimen falso obiectum fuisse Roscio multis argumentis convincit: secundum est de audacia duorum Rosciorum, Capitonis

et Magni; in quos crimen ita confert, ut eos multis suspicionibus arguat: tertium est de Chrysogoni potentia, quam invidiose insectatur. Victor in causa magna in admiratione fuit, ut Plutarchus ait. Ipse vero in Bruto cap. 90. sic scribit: *itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non nostro digna patrocinio videretur.* Roscio contra Chrysogonum defenso Ciceronem Athenas secessisse atque inde post triennium Romam revertisse in Eusebii Chronico scriptum est. Ex simili fama illud Caleni apud Dionem lib. XLVI, 7. manasse videtur, *καίπερ τρία ἐν Ἀθήναις ἔτη κατατρίψας·* quibus verbis significat, M. Tullium eloquentiae gratia triennium Athenis vixisse. Et certe, si Roscio defenso statim in Graeciam profectus esset, quod Plutarchus quoque putavit, triennium ibi vixisset: iam vero, cum secus ipse in Bruto cap. 91. scribat, nos etiam haec temporibus aliter dividemus.

Mytilenas hoc tempore in Asia expugnatas fuisse, in Liviana epitoma lib. LXXXIX. scriptum est. Expugnavit eas M. Thermus: in qua expugnatione Iulius Caesar auctore Suetonio in Caes. cap. 2. corona civica donatus est. Atque ita urbs et natura et situ et descriptione aedificiorum et pulchritudine in primis nobilis belli lege ac victoriae iure populi Romani facta est: Cicero Orat. II. cap. 16. contra Rullum.

Anno Urbis DCLXXIV. Ciceronis XXVIII. coss. fuerunt

P. SERVILIUS VATIA [ISAURICUS], AP. CLAUDIUS PULCHER.

Hos consules in hunc annum Sulla contra voluntatem populi, qui ipsum creabat, renuntiandos curavit et dictatura se abdicavit: Appianus B. Civ. I. 103. Orosius lib. V. cap. 22. Ap. Claudius P. Clodii, inimici Ciceronis, pater fuit: unde in Orat. de harusp. resp. cap. 1. P. Servilius collega patris eius nominatur. Hoc tempore Cicero, antequam in Graeciam profectus fuit, Arretinae mulieris libertatem contra Cottam, hominem disertissimum, defendit, Sulla adhuc vivo, ut ait pro Caecina cap. 33. Erat eo tempore in Cicerone summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum: qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio: eoque magis, ut ipse in Bruto cap. 91. scribit, hoc eos, quibus erat carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebat. Itaque cum eum et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisteret; ipse autem quodvis periculum adire, quam a sperata dicendi gloria discedere mallet; censeret tamen, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi se et periculum vitare posse et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutaret, eam sibi causam in Graeciam proficiscendi fuisse ait in Bruto cap. 91. Itaque cum esset biennium versatus in causis, Roma est profectus huius anni aestate, ut ex sequentibus cognoscetur. Cum venisset Athenas, sex menses cum Antiocho veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fuit studiumque phi-

losophiae nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavit; ut ipse in Bruto testatur. Ideoque lib. I. cap. 3. de Natura Deorum Antiochum inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit. De eodem lib. I. de legibus cap. 21. *Vir iste fuit prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris.* Plutarchus quoque in Cicerone a nobis converso, ita scribit c. 4.: *Cum Athenas venisset, Antiocho Ascalonitae operam dedit: eiusque copia quidem et lepore dicendi delectabatur, sed quae ab ipso in philosophia novabantur, ea minime probabat. Iam enim Antiochus a nova Academia defecerat et relicta Carneadis secta commutatoque instituto, vel evidentia et sensibus victus, vel, ut nonnulli aiunt, ambitione et contentione cum Philonis et Clitomachi discipulis adductus, Stoicorum decreta fere defendebat.* Antiochus igitur, ut Cicero in Lucullo cap. 43. testatur, appellabatur quidem Academicus; sed erat, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus. Didicerat apud Philonem tamdiu, ut constaret diutius didicisse neminem: et scripserat de Academica secta acutissime, eamque non acrius accusavit in senectute, quam antea defensitaverat. Plura in Lucullo Ciceronis et Plutarchi. Athenis Cicero Epicureos quoque Phaedrum et Zenonem frequenter cum Attico audivit, ut ait lib. I. cap. 5. de Finib. Meminit Tusc. III. cap. 17. et Acad. I. extr. Hic annus XX. est post M. Antonii et A. Postumii consulatum, ad quem Lucullorum aedilitas a Plinio lib. VIII. cap. 7. refertur. Eam vero magnificentissimam fuisse, Cic. lib. II. cap. 16. de Officiis scribit. Hac ego coniectura ductus L. Luculli magistratus, quos Cicero initio Luculli recenset, ita constituo, ut hoc anno aedilis; Bruto et Mamerco coss. praetor fuerit; sequenti Africam obtinuerit; atque inde Octavio et Cotta coss. ad consulatus petitionem redierit.

Anno Urbis DCLXXV. Ciceronis XXIX. coss. fuerunt

M. AIMILIUS[1] LEPIDUS, Q. LUTATIUS CATULUS.

His consulibus Sulla in agro Cumano mortuus ac Romam perlatus cum magna pompa in Campo Martio sepultus est: quod praeter ceteros Appianus lib. I. B. C. cap. 105. copiose narrat. Primus autem e patriciis Corneliis Sulla igni voluit cremari; lib. II. cap. 22. de legibus. Post Sullae mortem dissensio inter consules orta est, cum Lepidus Sullae acta rescindere tentaret et Catulus ei resisteret. Vide Orosium nostrum lib. V. cap. 22. Hinc Cic. in Catil. III. cap. 10. *Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo; attulit non tam ipsius interitus reip. luctum quam ceterorum.* Ubi vero M. Tullio de Sullae morte Athenas allatum est, ut Plutarchus cap. 4. scribit; cum iam corpus eius exercitationibus confirmatum meliore habitu esse coepisset et vox ita conformata esset, ut cum auditu suavis ac plena, tum ad corpo-poris constitutionem moderate accommodata esset: motus et precibus

1) Ita miror, cur a Fabricio noluerit retinere Gruterus, etiam seq. anno et saepius infra. Gron.

litterisque amicorum, quae Roma frequentes ad ipsum afferebantur, et cohortatione Antiochi, ut rem publicam capesseret, dicendi vim, velut instrumentum, rursus excoluit civilemque facultatem excitavit. Itaque primum, ut ipse in Bruto cap. 91. scribit, Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exercebatur. Post totam Asiam peragravit cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur ipsis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, quem Plutarchus Menippum Carem nominat. Cicero eum tota Asia illis temporibus disertissimum fuisse iudicat. Unde Strabo lib. XIV. p. 660. *κἀνταῦθα δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται ῥήτωρ Μένιππος κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν, Κατόκας ἐπικαλούμενος, ὃν κάλλιστα ἐπαινεῖ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ῥητόρων, ὧν ἠκροάσατο, Κικέρων, ὥς φησιν ἔν τινι γραφῇ αὐτοῦ, συγκρίνων Ξενοκλεῖ καὶ τοῖς κατ' ἐκεῖνον ἀκμάζουσι.* Id est, *Fuit ibi patrum nostrorum memoria nobilis magister dicendi Menippus cognomento Catocas: quem Cicero ex Asiaticis oratoribus, quos audivit, maxime laudat, ut est in quodam ipsius libro, ubi eum cum Xenocle atque illius aetatis oratoribus comparat.* De Xenocle Adramytteno, cui Cicero item operam dedit, idem Strabo lib. XIII. Erat cum Cicerone tum etiam Aeschylus Cnidius, assiduissime autem Dionysius Magnes. Quibus non contentus Rhodum venit seque ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem applicavit, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, ut nimis redundantem oratorem nostrum et superfluentem iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentem coërceret; auctor ipse in Bruto cap. 91. De Apollonio Molone, inquit Plutarchus, traditum est memoriae, eum Latinae linguae rudem rogasse Ciceronem, ut Graece declamaret. In quo cum ideo illi obtemperasset, quod putaret se ita melius corrigi posse, ceteri omnes admiratione obstupefacti certatim de Cicerone aliusque alio gloriosius praedicabat. Apollonius neque orante Cicerone laetitiam prae se tulit et, cum perorasset, defixus in cogitatione diu sedit: quod ubi Ciceronem aegre ferre sensit, haec eius vox erupit: *Te equidem, M. Tulli, collaudo et admiror; sed me Graecorum fortunae miseret, cum videam doctrinae et eloquentiae laudem, quae sola nobis reliqua erat, per te ad Romanos translatam esse.* Rhodi Cicero Posidonium philosophum etiam audivit, ut Plutarchus scribit. Posidonius enim cum esset Apamiensis e Syria, Rhodi vixit, teste Strabone lib. XIV. p. 655. Hunc familiarem suum vocat Cic. lib. I. cap. 2. de Finib. Eundem lib. I. de Natura d. cap. 3. inter eos numerat, a quibus in philosophia institutus fuit. Praeterea in libro de Fato cap. 3. ita scribit: *Quaedam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur.*[1]

1) Hoc anno Cicero una cum T. Pomponio (Attico), itineris comite, (cui postea a. u. c. 699. Capit. = 700. Varr. inscripsit libros sex de re publica) Smyrnae vidit P. Rutilium Rufum (de Re publ. 1, 8, 13. Brut. 22, 85. cfr. Moserum in Ed. libr. de Re publ. p. XXXI.).

Anno Urbis DCLXXVI. Ciceronis XXX. coss. fuerunt

D. IUNIUS BRUTUS, MAM. AIMILIUS LEPIDUS LIVIANUS.

Hos consules ex interregno iniisse argumento est oratio Philippi apud Salustium, inter fragmenta lib. I. histor.: de quibus Cicero in Bruto cap. 47. *Iisdem fere temporibus D. Brutus, is qui consul cum Mamerco fuit, homo et Graecis doctus litteris et Latinis.* Mamerci Aemilii Lepidi, consulis, meminit Valerius lib. VII. cap. 7. Hoc anno, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, Pompeius, adhuc eques, contra Sertorium ad bellum maximum formidolosissimumque, suasu L. Philippi, pro consule missus est. Quo quidem tempore cum esset non nemo in senatu, qui diceret non oportere mitti hominem privatum pro consule, Philippus dixisse dicitur, *Non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Cicero in Maniliana c. 21. Idem Philipp. XI. cap. 8. *Pompeio Sertorianum bellum a senatu privato datum est; cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule.* Scribit idem Plutarchus in Pompeio. Comparato exercitu hostes, in cervicibus iam Italiae agentes, ab Alpibus in Hispaniam submovit Galliamque recepit, ut ipse apud Salustium fragm. lib. III. histor. ad senatum scribit. Unde Cicero in Maniliana cap. 11. ait, Pompeium per Galliam legionibus Romanis in Hispaniam iter Gallorum internecione patefecisse.

Eodem hoc anno M. Tullius se recepit e Graecia, biennio post, quam eo profectus erat, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis resederat et quasi deferverat oratio; lateribusque vires et corporis mediocris habitus accesserat, ut ipse in Bruto c. 91. testatur. Cum autem Cicero, auctore Plutarcho cap. 5., magna spe erectus ad rem publicam summo studio raperetur: ardor eius oraculo quodam repressus est. Nam cum Delphos profectus Apollinem consuluisset, quanam via ad summam gloriam pervenire posset: oraculum editum est, suam naturam, non multitudinis opinionem, ducem vitae sequeretur. Quapropter Romam reversus primo timide dixit et dubitanter ad honores accessit: nec ullo in numero habitus, sed Graeculus atque otiosus appellatus fuit, quae nomina infimis et sordidis hominibus in promptu esse atque in ore consueverunt. Ut vero et innata honorum cupiditate ductus et patris atque amicorum cohortatione incitatus se totum patrociniis tradidit, non iam pedetentim principem locum petiit, sed statim eluxit ceterisque oratoribus longe praestitit. Hactenus Plutarchus, ut a me ante annos octo conversus fuit: ubi, quod Graeculum atque otiosum dixi, qui Plutarcho est Γραικὸς καὶ σχολαστικός, secutus sum auctoritatem nostri oratoris, qui pro Sestio cap. 51. *Graeculum*, inquit, *se atque otiosum putari voluit; studio litterarum se subito dedit.* Solent autem Romani uti appellatione Graeci probri loco, cum ignobilitatem obiiciunt, ut Zonaras scribit.[1]

1) Ad hunc annum Middleton T. 1. p. 78. interpret. Seidelianae refert Ciceronis cum Terentia nuptias. Contra sic de rebus Ciceronis domesticis disputavit

Anno Urbis DCLXXVII. Ciceronis XXXI. coss. fuerunt

CN. OCTAVIUS, C. SCRIBONIUS CURIO.

De his Cicero in Bruto cap. 60. *Cn. Sicinius, cum tribunus pl. Curionem et Octavium consules produxisset Curioque multa dixisset, sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: Nunquam, inquit, Octavi, collegae tuo gratiam referes; qui nisi se suo more*

Tunstall in Epistola cet. p. 10. „*Συγχρονισμὸν* perquam notabilem effecisti (ibid. T. I. p. 183.) mortemque patris Ciceronis tui, filii natales filiaeque desponsationem in unius anni ambitum conclusisti, rem etiam omnium antiquissimam, patris nimirum mortem, in anni eius partem posteriorem usque detrusisti. Illum praeterea annum plane mirabilem fuisse dicis eum, in quo Cicero ipse consul designatus fuerit. En rerum Ciceronis maximarum pulcherrimum sane *συγκύρημα!* unde tibi etiam praeclara cogitata exsurgunt. Audacter tamen affirmo earum rerum ne unam quidem incidisse in annum eum, quo Cicero consul designatus fuerit (690. Varr.). Nam inter patris mortem et designationem Ciceronis triennium totum tempusque insuper semestre intercessit. Siquidem is mortuus est VIII. Kal. Decembr. Metello et Rege coss. (686. Varr. ad Attic. 1, 6.). Deinde, cum circa mensem Decembr. anni eius, qui Pisonem et Glabrionem coss. habuit (687. Varr.), Tullia desponsata fuerit (ibid. Ep. 3.), ab ea desponsatione ad Ciceronis designationem idem fere tempus semestre ultra biennium praeterierat. Denique Marcus filius annum integrum ante natus est, quam Cicero cos. designatus. De filii autem natalitiorum tempore *certissimus* es: nam Cicero ipse dicit (ibid. Ep. 2.) *L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo coss.* (hos autem Cicero cos. excepit:) *filiolo me auctum scito.* Miror tibi in mentem non venisse coss. designatos esse saepissime *coss. ἁπλῶς* dictos. Ita Lib. 6. Ep. 8. *Lentulus cos.* Philipp. 14, 3. *bellum inexpiabile infert quattuor coss.* (Hirtio et Pansa coss., D. Bruto et Planco, coss. designatis) *unus omnium latronum teterrimus.* Fieri non potuit, ut Caesar et Figulus iam ipsi consules essent. Quorsus enim Atticus mense Ianuario proximo adveniret, ut nobilium voluntates et suffragia Ciceroni consulatus petitori conciliaret, cum Ciceronem tum iniisse magistratum, non ambire oporteret? Denique ante illum ipsum mensem Ianuarium Atticus, teste Nepote, adfuit, *Cotta* etiamtunc et *Torquato coss.* (689. Varr.), cum Caesar et Figulus eum magistratum nondum iniissent. Sed et Bosium ipsum verissime monentem audire noluisti: *Cum ait Cicero,* inquit ille, *Caesare et Figulo coss., non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt. — Voluit duarum rerum Atticum fieri certiorem, designationis coss. et diei natalis filii.* Si vero dies natalis Marci filii ita constituatur, is uno tantum anno minor natu erit quam Quintus filius. Hic enim praetore Cicerone (687. Varr.) natus est, cum paullo ante comitia eius praetoria Pomponia *praegnans* esse coeperit. (Ibid. Ep. 10.) Itaque uno pariter anno serius toga pura donatum Marcum invenimus (ad Attic. 6, 1 et 9, 6.). Ex rationibus autem a te ductis inter eas res biennium totum interesse oportebat. De Tulliae porro nuptiis, si eae recte, uti diximus, reiiciantur in annum eum, qui Pisonem et Glabrionem coss. habuit (687. Varr.), vereor, ut te ab alio errore eoque gravissimo circa Ciceronis ipsius nuptias defendere possis. Nam tum triennio altius constituendae Tulliae nuptiae sunt, quam tute constituisti. Anno autem eo, qui ante Ciceronis consulatum fuit, quemque tu Tulliae nuptiis destinasti, illa vel te auctore, qui Ciceronem etiamtunc caelibem ex Graecia abducis, aetatis annum tertium decimum tantum compleverat. Itaque nisi altius diem eius natalem repetamus, Pisone et Glabrione coss. aetatis annum decimum (ut arbitror equidem, nonum) ut summum, confecerit. Ea aetate ut nupta illa fuerit, ipse, ut opinor, nequaquam asseveraris. Id tamen tenendum necessario est, si eodem te auctore Ciceronis nuptias ad eius ex Graecia reversionem differamus. Eo igitur rem deduco, ut Cicero uxorem ante duxerit, quam iter illud insigne in Graeciam Asiamque susceperit."

iactavisset, hodie te istic muscae comedissent. Videntur autem consules a Sicinio producti fuisse, cum id egit, ut tribunicia potestas populo redderetur: Asconius in Divinat. in Verrem. cap. 3. Cn. Octavium, M. filium, optimum atque humanissimum virum, familiarem suum nominat Cicero lib. II. cap. 28. de Finib. His consulibus Cicero, ut ipse in eodem Bruto cap. 92. ostendit, cum unum annum, reversus ex Asia, causas nobiles egisset, quaesturam petiit, cum C. Cotta, qui anno insequenti consul fuit, consulatum, Hortensius aedilitatem peteret. Quaestoriis comitiis, quae tributa fuisse epist. 31. libro VII. ad Famil. cognoscitur, Cicero quaestor in primis cunctis suffragiis est factus, in orat. in Pisonem cap. 1. Idem Verrina VII. cap. 14. ait, se ita quaestorem factum fuisse, ut sibi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putaret. In causis iis, quas Cicero ex Asia reversus ante quaesturam egit, numero orationem pro Q. Roscio Comoedo[1]; id quod proposita constitutione causae planum faciam. Res igitur, ut ex orationis fragmento colligitur, ita se habet: C. Fannius Chaerea servum suum Panurgum communem cum Roscio ea lege fecit, ut is a Roscio arte histrionica institueretur quaestusque inter eos communis esset. Institutum artificio comico Panurgum Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor a Roscio datus fuit, qui Flavium iudicio DAMNI INIVRIA DATI Roscii nomine persequeretur, non secus atque si res sua esset. Lite contestata Roscius sine Fannio cum Flavio decidit HS. centum millibus. Deinde C. Pisone teste et arbitro Roscius Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obiisset, certam pecuniam dedit hac conditione, ut, si quid Fannius pro sua parte servi interempti a Flavio exegisset, partem eius dimidiam Roscio dissolveret. Post triennium Fannius, qui diceret, se a Flavio nihil abstulisse, Roscium cum eo de tota re pro societate decidisse, Roscium in ius vocavit, et HS. quinquaginta millia, dimidiam scilicet partem eius pecuniae, quam Roscius a Flavio abstulerat, petiit, et sponsione Roscium lacessivit, Ni sibi ille HS. IƆƆƆ. deberet. Datus igitur iudex a praetore fuit C. Piso cum hac formula, Si paret Roscium Fannio HS. IƆƆƆ. debere. Quod Cicero enumeratione causarum debitionis falsum esse docet: neque societatis nomine quidquam a Roscio peti posse probat. Corradus Ciceronem hanc causam egisse Cn. Pompeio et M. Crasso coss. anno post hunc sexto inde putat, quod tum C. Piso praetor fuerit: sed fallitur, qui ex iudice privato praetorem facit. Falluntur quoque illi, qui Roscium Comoedum ante Amerinum defensum inde putant, quod post Amerini defensionem Cicero in Graeciam statim fuerit profectus. Hoc tempore Q. Roscium fuisse defensum ex oratione cognoscitur: in qua Roscium Sullano tempore cum Flavio decidisse et quadriennio post causam actam esse aperte significatur cap. 12. et 13. Hoc anno in Hispania adversus Sertorium acerrima illa proelia et maxima, Sueronense et Duriense, commissa sunt; quorum meminit Cicero pro Balbo cap. 2. Tu vide Plutarchum in Pompeio.

1) Rectius refertur ad annum praecedentem: cfr. Ferratium p. 235. et Garatonium ad cap. 15. p. 304. Ed. Neap.

Anno Urbis DCLXXVIII. Ciceronis XXXII. coss. fuerunt

L. OCTAVIUS, C. AURELIUS COTTA.

De his Cicero in Verrem .III. cap. 50. *Cum L. Octavius, C. Aurelius coss. aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, M. Caesius: factum est S. C., quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti C. Verres, P. Caelius praetores cognoscerent et iudicarent.* Ubi vides, C. Sacerdotem, cui Verres in praetura urbana et Siciliensi successit, hoc anno praetorem urbanum fuisse: qui, cum sequenti Siciliam obtinuerit, et Cicero ante Verrem quaestor in Sicilia fuerit, praetore Sex. Peducaeo, suspicionem Corradi, qui Ciceronem hoc anno quaestorem urbanum et insequenti in Sicilia fuisse putavit, falsam esse omnes vident. Hic est igitur Siciliensis annus, qui M. Tullium quaestorem excepit; ut ipse in Bruto cap. 92. scribit. Cum autem bini quaestores in Sicilia singulis praetoribus essent, Lilybaetanus et Syracusanus, Cicero Lilybaetanus quaestor fuit, ut Asconius in Divinat. princ. scribit et Cicero ipse pro Plancio cap. 26. ostendit. Idem Asconius scribit Ciceronem quaestorem in Sicilia fuisse praetore Sex. Peducaeo: ipse vero in orat. post reditum in senatu cap. 8. ait se patri M. Curtii quaestorem fuisse. Accidebat autem saepe, ut unus quaestor duorum praetorum esset, ut Gruchius libr. II. de Comitiis docet. De quaestura Ciceronis Plutarchus ita scribit c. 6. *Quaestor creatus et sortitus provinciam Siciliam, cum in difficultate annonae atque inopia rei frumentariae magnus frumenti numerus Romam esset mittendus, Siculos initio offendit: post, ubi diligentiam, iustitiam et comitatem eius experti fuerunt, maiores illi honores quam ulli unquam praetori tribuerunt.* De eadem ipse in oratione pro Plancio cap. 26. *Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut gratiorem aut clariorem fuisse: frumenti in summa caritate maximum numerum miseram; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus; excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi.* Et in Verr. VII. cap. 14. *Sic obtinui quaesturam in provincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer; ut me quaesturamque meam quasi in aliquo orbis terrae theatro versari existimarem; ut omnia semper, quae iucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegarem.* Idem Verrina II. cap. 12. ait, Siculos in quaestura suae innocentiae abstinentiaeque periculum fecisse [1]). Eo tempore, ut Plutarchus scribit, multi Romani adolescentes, claris parentibus atque honesto loco nati, apud Siciliae praetorem accusati sunt intemperantiae et neglectae disciplinae militaris; quos Cicero magna commendatione defendit et conservavit.

1) Ad hunc annum referendum id, quod Tusc. 5, 23. narrat de invento a se Archimedis monumento ad portas Achradinas.

Anno Urbis DCLXXIX. Ciceronis XXXIII. coss. fuerunt

L. LICINIUS LUCULLUS, M. AURELIUS COTTA.

His consulibus Cicero, annuo munere quaesturae expleto, e Sicilia provincia decessit. Habuit tum orationem Lilybaei, in qua Siculis multa benigne promisit [1]; ut Asconius in argum. Verr. I. scribit. Decedebat autem ea spe, ut sibi populum Rom. ultro omnia delaturum putaret. At cum casu diebus iis, itineris faciendi causa, Puteolos venisset, concidit paene, cum ex eo quidam quaesisset, quo die Roma exisset et numquid in ea esset novi, quod ipse pro Plancio cap. 26. narrat, et Plutarchus in vita scribit cap. 6. Cum e Sicilia se recepisset, iam videbatur facultas illa dicendi esse perfecta et habere maturitatem quandam suam; ut ait in Bruto cap. 92. Fuit hoc anno tribunus pleb. L. Quintius, homo maxime popularis et ad inflammandos animos multitudinis accommodatus, qui conciones quotidie seditiosas et turbulentas habebat. Cicero pro Cluentio cap. 28. 29. 34. et 37. Hunc acta Sullae rescindere ac rei publicae statum movere et perturbare conantem Lucullus consul ab incepto deduxit, auctore Plutarcho in Lucullo. Hinc Macer apud Salustium: fragm. lib. III. hist. *Lucullus quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis.* Idem Quintius patronus fuit Oppianici, qui hoc anno, Verre praetore urbano, condemnatus est: Cicero pro Cluentio cap. 33. et Asconius in Verrin. II. cap. 1. et 10. Verrem his consulibus praetorem urbanum fuisse, cognoscitur etiam Verrina septima cap. 13., ubi Cicero: *Nemo* inquit, *tam rusticanus homo L. Lucullo et M. Cotta coss. Romam ex ullo municipio vadimonii causa venit, quin sciret, iura omnia populi Romani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculae gubernari.*

Hoc etiam tempore M. Antonius, gratia Cottae consulis et Cethegi factione in senatu curationem nactus totius orae maritimae, Siciliam et provincias omnes depopulatus est; et ad extremum inferens Cretensibus bellum, re male gesta, morbo interiit: Asconius in Verr. IV. cap. 3. Livius lib. XCVII. Florus libro III. capite 7. Meminit Velleius lib. II. cap. 31. et Cicero Verr. IV. cap. 13., ubi M. Antonii infinitum imperium dicit. Hic Antonius pater fuit M. Antonii triumviri, qui in Plutarchi Antonio χϱιτικὸς mendose pro Κϱητικὸς nominatur [2]). Tum quoque Metellus et Pompeius in Hispania ab obsidione Calagurii oppidi depulsi, coacti fuerunt diversas regiones petere; Metellus ulteriorem Hispaniam, Pompeius Galliam, auctore Livio libr. XCIII. Itaque tum exercitus Pompeii hiemavit in Gallia, cum M. Fonteius praetor eam provinciam obtineret, ut Cicero pro Fonteio cap. 3. ostendit.

---

1) Unum eius fragmentum superest. Fragmm. Ed. meae p. 444.
2) Correctus est error in Ed. Schaeferi cap. 1. Vol. IV. p. 430.

Anno Urbis DCLXXX. Ciceronis XXXIV. coss. fuerunt

M. TERENTIUS VARRO LUCULLUS, C. CASSIUS VARUS.

De his Cicero pro Cluentio cap. 49. *Sed quaero a vobis, num istam legem ex isto S. C. L. Lucullus consul, homo sapientissimus, tulerit? num anno post M. Lucullus et C. Cassius?* Eosdem Verrina tertia cap. 23. M. Terentium et C. Cassium nominat, a quibus lex frumentaria Terentia et Cassia lata fuit: de qua Cicero Verrina V. cap. 70. et VII. cap. 21. Fuit enim M. Lucullus, frater L. Luculli, in Terentiorum familiam adoptatus. Eidem Macedoniam evenisse Eutropius lib. VI. cap. 6. scribit. Hinc Cicero in Verr. IV. cap. 8. *Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. Quid, Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius haec cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romae fuisti?* Hoc anno bellum in Italia a gladiatoribus duce Spartaco excitatum est; quod Cicero in Maniliana cap. 10. seq. servile vocat: de quo scripsi in ult. cap. lib. V. Orosii. Eodem tempore L. Lucullus, qui consul anno superiore contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum urbem exercitum eius fame ferroque delevit, auctore Livio libr. XCV. Nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia constitisset eamque urbem sibi Mithridates Asiae iannam fore putavisset, qua effracta et revulsa tota pateret provincia: perfecta ab Lucullo haec sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, ut omnes copiae regis diuturnitate obsidionis consumerentur; ait Cicero pro Murena cap. 15. Eandem rem pro lege Manilia cap. 8. et pro Archia cap. 9. commemorat.

Anno Urbis DCLXXXI. Ciceronis XXXV. coss. fuerunt

L. GELLIUS POPLICOLA, CN. CORNELIUS LENTULUS CLODIANUS.

De his Cicero in Verr. IV. cap. 39. *Itaque in senatu continuo Cn. Lentulus et L. Gellius* (*Lucullus* impressi libri Ciceronis mendose habent, cum *L. Gellius* in vetustis recte legatur) *consules faciunt mentionem, placere statui, si Patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium.* Iidem in orat. pro Balbo aliquoties nominantur. In quarta vero in Verrem cap. 41. M. Lollium Palicanum tribunum pleb. hoc anno fuisse cognoscimus: quem laborasse, ut tribunicia potestas populo restitueretur, Asconius in Verrinam I. cap. 3. scribit. De eodem Cicero in Bruto cap. 62. *Aptior*, inquit, *etiam Palicanus auribus imperitorum.* Hoc anno Lucullus, Mithridatem in Pontum persecutus, eum legionibus Romanis patefecit, qui ante populo Rom. ex omni aditu clausus fuerat: ut ait Cicero pro lege Manilia cap. 8. et pro Archia cap. 9.

Anno Urbis DCLXXXII. Ciceronis XXXVII. coss. fuerunt

CN. AUFIDIUS ORESTES, P. CORNELIUS LENTULUS SURA.

Orestes gentis Aureliae cognomen est: sed hic Orestes a Cn. Aufidio adoptatus, ut Cicero pro domo cap. 13. ait, Cn. Aufidius Orestes dictus fuit. Cn. Orestem, cum tribunus pleb. esse non potuisset, consulem factum ait Cicero pro Plancio cap. 21. Idem praetor urbanus fuit anno Urbis DCLXXVI., ut ex Valerio lib. VII. cap. 7. apparet. P. Lentulus cum Catilina coniuravit atque a Cicerone consule in carcere strangulatus fuit, ut inferius dicemus. Unde Surae cognomen invenerit, Plutarchus in Cicerone hoc modo exponit: *Cum Sullanis temporibus quaestor magnam vim pecuniae publicae consumpsisset atque perdidisset, Sulla id aegre ferens rationem ab eo in senatu exegit; tum ille negligenter et cum contemptu progressus rationem se redditurum negavit; suram autem praebiturum, ita ut pueri consuessent, cum in pilae lusione deliquissent. Hinc Sura cognominatus fuit; sura enim Romanis est ea, quae Graecis* κνήμη *dicitur.* Hactenus Plutarchus cap. 17. Bellum servile iam tertium annum cum Spartaco gerebatur, cum M. Crasso praetori id mandatum et sex mensibus confectum fuit, ut Appianus libro primo extremo scribit cap. 120. Itaque Crasso tum permissum Plutarchus ait, ut ovans Urbem iniret. Hinc Cicero in Pisonem cap. 24: *Crasse, pudet me tui. Quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu?* Exercitum eodem tempore ex Hispania in Italiam Pompeius reduxit et quinque milia fugitivorum, qui e proelio aufugerant, interfecit, atque ad senatum, auctore Plutarcho, scripsit: *Crassum acie gladiatores fudisse, se bellum radicitus sustulisse.* Hinc Cicero in Maniliana cap. 11.: *Testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.* Huius belli confecti gloriam Cicero pro Sestio cap. 31. item ad Pompeium his verbis transfert: *Qui etiam servitia virtute victoriaque domuisset.* Ultimo huius anni die, pridie quam consulatum iniret, Pompeius, etiam tunc eques Romanus, ex Hispania procos. triumphavit: ut Velleius libro II. cap. 30. scribit. De quo triumpho Cicero pro lege Manilia cap. 21.: *Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet?* [1]

Anno Urbis DCLXXXIII. Ciceronis XXXVII. coss. fuerunt

CN. POMPEIUS MAGNUS, M. LICINIUS CRASSUS.

Pompeium ex S. C. legibus solutum, consulem ante factum, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset, Cicero in Mani-

1) Ad hunc annum Huschkius in *Anal. crit.* p. 93. recte refert orationem pro M. Tullio.

liana cap. 21. testatur. Numerus de aetate Pompeii apud Appianum B. C. cap. 121. mendo caret: respicit enim tempus anni superioris, quo Pompeius ante natalem suum consulatum petivit. M. Tullius iam post quaesturam in plurimis causis et in principibus patronis quinquennium fere versatus erat, ut ipse in Bruto cap. 92. scribit: fuitque in admiratione, quod ab iis, quorum causas agebat, nulla dona aut munera auctore Plutarcho cap. 7. accipiebat. In iis causis fortasse fuerunt M. Tullii et L. Vareni, quas Ciceronem scriptas edidisse testimonio Quintiliani et Prisciani cognoscitur. In primis autem, ut Plutarchus ait, Cicero enituit, cum C. Verrem hoc anno in iudicium vocavit. Nam in patrocinio Siciliensi maxime in certamen venit designatus aedilis cum designato consule Hortensio; quod ipse in Bruto scribit. Tenuerat Verres ex praetura Siciliam provinciam per triennium atque in ea fuerat libidinose, avare crudeliterque versatus. Quare, cum tandem hoc anno L. Metellus ei succederet, repetundarum reus a Siculis postulatus est: qui omnes praeter Syracusanos et Mamertinos M. Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum ad accusandum descendere compulerunt, iam pridem illis necessitudine copulatum; quod quaestor in Sicilia fuisset et decedens multa iis benigne promisisset, ut Asconius in argum. Verrin. I. ait. Natus iam erat Cicero annos XXXVI., quod tempus legitimum erat aedilitatis petendae. Certe P. Scipio Africanus minor, cum annos natus XXXVI. aedilitatem peteret, consul a populo dictus est, Livius lib. L., Velleius lib. I. cap. 12. Aedilitatem igitur suo anno petens Cicero prior designatus est cunctis suffragiis populi: in Orat. in Pisonem cap. 1. Suscepto patrocinio Siciliensi, exstitit Q. Caecilius Niger, domo Siculus, ut Asconius arg. Verr. I. scribit; Plutarchus ait, hominem libertinum fuisse et Iudaicae religioni obnoxium, unde Cicero in eum dixit, *Quid Iudaeo cum Verre?* Romani autem porcum non castratum *verrem* nominant. (In Plutarchi libris, in quibus legitur, *Βέῤῥην οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι*, negatio deest, et restitui debet, *τὸν μὴ ἐκτετμημένον.*[1] Alioqui falsum esset, quod Plutarchus scribit, idque duos interpretes, viros doctissimos, non animadvertisse miror.) Caecilius igitur contendebat se potius accusatorem constitui oportere, has afferens causas: unam, quod a Verre laesus iure illi inimicus esset; alteram, quod, cum quaestor eius fuisset, crimina sciret; tertiam, quod Siculus pro Siculis ageret. Hinc, quia in publicis quaestionibus, ut est libr. I. cap. 12. ad Herennium, legibus cavetur, ut ante, si reo commodum sit, iudicium de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare necne, divinatio accusatorum Ciceronis et Caecilii facta est. Tum Cicero primam Verrinam de accusatore constituendo dixit; in qua hac usus est divisione: spectandum, a quo maxime agi velint ii, quorum de ultione quaeritur; a quo minime velit is, qui accusatur (auctor Quintilianus lib. VII. cap. 5.). Victo Caecilio et accusatione ad se delata Cicero, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies CX. et cum L. Tullio fratre patrueli totam provin-

---

1) Sicque Ed. Schaef. cap. 7. Asconius hic semper Pseudoasconius.

ciam colligendis litteris in Verrem et denuntiandis testimoniis peragrasset diebus quinquaginta, Romam reversus, cum videret id agi, ut a M'. Glabrione praetore et ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque praetorem res tota transiret eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant; hoc commentus est rationis, ut orationem longam praetermitteret neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unum quodque crimen expositum et eos Hortensio interrogandos daret, inquit Asconius arg. Verr. II. Unde Quintilianus libr. VI. cap. 6.: *Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse quam in eum annum, quo erat Q. Hortensius consul futurus, incidere.* Consilium suum ipse Cicero Verrina secunda copiose exponit; quae praeterea exhortationem continet iudicum ad vere iudicandum: minae quoque in adversarios diriguntur omnia tentantes ad corrumpendum iudicium. Qua oratione ipse Verrina tertia cap. 7. hoc se assecutum fuisse ait, ut una hora, qua coepit dicere, reo spem iudicii corrumpendi praecideret. Primo autem die magno testium numero citato, alter dies amicis Verris et defensoribus non modo spem victoriae, sed etiam voluntatem defensionis abstulit. Nam, ut Asconius scribit, arte Ciceronis ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret. *Itaque nobis*, ait Cicero in Oratore cap. 37., *pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius.* Dicendi enim facultatem Cicero Hortensio nullam dedit nihil ipse dicendo, ait Asconius; et Plutarchus, τοῦτον εἷλεν οὐκ εἰπών, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τοῦ μὴ εἰπεῖν· ubi aliquando ἐξ αὐτοῦ corruptum esse atque pro eo ἐξευρών commodius legi posse putavi. Sed Adrianus Turnebus (cuius nomen, ut magistri de me optime meriti, mihi nunquam nisi honoris causa usurpandum est) anno superiore litteris significavit, τρόπον τινὰ ἐξ αὐτοῦ τοῦ μὴ εἰπεῖν, esse *quodam modo abdicata eloquentia.* Haec prima actio, cuius quasi prooemium tantum litteris mandatum est, quae Verrina secunda numeratur, novem diebus transacta est (Verrina tertia c. 60.); eaque Verres convictus sua sponte in exsilium decessit (Asconius); in quo exsilio illum consenuisse, donec a triumviris post Ciceronis mortem proscriptus periit, auctor est Lactantius lib. II. cap. 4, 34. et Seneca in Suasoriis libr. I, 6.[1] Proscriptum Verrem ab Antonio tradit, quod Corinthiis se ei cessurum negavisset, Plinius lib. XXXIV. cap. 2. Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit: sed, cum vellet omnem vim et rationem accusandi in uno reo ostendere, quinque hos libros domi scriptos edidit; quos pro ratione criminum dividens ante actis unum dedit, crimini repetundarum quattuor, unum de iure dicundo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartum de suppliciis; Asconius. Hi sunt quinque contra Verrem *secundae actionis* libri, de quibus Fabius lib. XI. cap. 2. med. et Tacitus in dialogo de Oratoribus cap. 20. Etiam Cicero in Oratore

1) P. 41. Ed. Gronovii 1672. — *Ciceronem exoratum a Vatinio C. quoque Verri adfuisse.* Ibid. pag. 36. — *Humilia in adulationem verba submittes? Pedeat Verrem quoque, quia proscriptus fortius periit.*

cap. 62. Verrinam sextam *quartum Accusationis* appellat. Itaque in primo Accusationis libro, quae est Verrina tertia, Cicero ante acta, id est, ea crimina, quae Verres ante praeturam Siciliensem in quaestura, legatione et *praetura urbana* commisit, exponit. In secundo Accusationis libro, quae est Verrina quarta, explicantur crimina *in Sicilia*, in iure dicundo commissa. Tertius liber est de frumenti criminibus, eaque oratio *frumentaria* a veteribus grammaticis nominatur. Quartus liber seu Verrina sexta est *de signis*, quintus et ultimus *de suppliciis*. Verre damnato, ut Plutarchus tradit, cum Cicero litem ei tricies HS. aestimasset, male audivit, quasi pecunia accepta de multa remisisset. Apud Plutarchum ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδες est tricies sestertium: si quidem εἴκοσι πέντε μυριάδες est decies HS., ut idem in Antonio testatur. Verum Budaeus in libris de Asse et in Commentariis censet in Plutarchi libris verbum τριακοσίων aut aliud deesse. Sestertium quadringenties a Verre tantum repetitum esse Asconius scribit. His coss. tribuniciam potestatem restitutam esse Salustius in Catil. cap. 38. scribit; idem est in epitoma lib. XCVII. Liv., apud Velleium lib. II. cap. 30. et Plutarchum in Pompeio. Hinc Q. Cicero lib. III. cap. 9. de Legibus ait: *Pompeium nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus; de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet nec laudare possum.* Post iudicia a Sulla constituta senatus iam ex lege Cornelia per decem annos turpiter iudicaverat; ita ut iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postularetur. Hoc igitur anno L. Aurelius Cotta praetor legem ad populum tulit, ut senatores cum equitibus et tribunis aerariis iudicarent: Cicero Verrina prima cap. 3. et Asconius in eandem, Livius lib. XCVII. et Velleius lib. II. cap. 32. Eodem anno censores fuerunt Gellius Poplicola et Cn. Cornelius Lentulus: de quibus Cicero pro Cluentio cap. 42. Lentuli censoris meminit etiam Verrina septima cap. 7. pro Flacco cap. 19. et pro domo cap. 47.

Anno Urbis DCLXXXIV. Ciceronis XXXVIII. coss. fuerunt

Q. HORTENSIUS, Q. CAECILIUS METELLUS [CRETICUS].

De his consulibus Cicero pro Cluentio cap. 64.: *Tum interim, Hortensio, Metello coss., ut hunc Oppianicum aliud agentem ac nihil eiusmodi cogitantem ad hanc accusationem detraheret, invito despondit ei filiam suam.* Hoc anno Cicero aedilis curulis fuit. Aediles autem ἀφ᾽ ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται, id est, ab una parte sui muneris quasi curatores aedium dicti sunt, Dionysius Halicarnasseus lib. VI, c. 90., ubi addit eos a Graecis ἀγορανόμους dici, quod magnam illis partem similes sint. De aedilitate sua Cicero Verrina septima cap. 14. ita scribit: *Nunc sum designatus aedilis: habeo rationem, quid a populo Rom. acceperim; mihi ludos sanctissimos maxima cum caerimonia Cereri, Libero Liberaeque faciundos; mihi Floram matrem populo plebique Rom.*

ludorum celebritate placandam; mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Iovi, Iunoni Minervaeque esse faciundos; mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam Urbem tuendam esse commissam; ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. Hinc etiam pro Murena cap. 19. se aedilem trinos ludos fecisse ait. Idem libr. II. cap. 17. de Officiis, pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adeptus esset suo anno, exiguum sumptum aedilitatis suae fuisse tradit. Advexerunt tum et attulerunt Siculi multa ex insula ad Ciceronem aedilem; quorum ille nihil in suum quaestum contulit, tantum liberalitate hominum ad annonam levandam usus est, auctore Plutarcho cap. 8. Collega Ciceronis in aedilitate fuit M. Caesonius, ut ipse Verrina secunda cap. 10. et Asconius in eum locum testantur. Scio Paullum Manutium in Asconium scribere, hunc magistratum cum Tullio non Caesonium, sed C. Antonium gessisse. Verum unde id didicerit, equidem ignoro.[1] Hoc anno Lucullus urbem ex Tigranis regno cepit, cuius meminit in Maniliana cap. 9. Cicero. Cum enim pridie Nonas Octobres magnum numerum hostium exigua manu ad Tigranocertam vicisset, deinde urbem cepit; Plutarchus in Lucullo, Dio libro XXXV. 2. Eodem anno M. Pupius Piso de Hispanis triumphavit; Cicero in Pisonem cap. 26. et Asconius. His etiam consulibus[2] templum Iovis in Capitolio, quod incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est, Cassiodorus et Livius lib. XCVIII. Tacitus Hist. lib. III. cap. 72. Plinius lib. VII. cap. 43. Cicero etiam Verrina sexta cap. 31. Q. Catulum appellans, Capitolium magnificentius esse restitutum, quam fuerit, ait. Circa idem tempus M. Tullius pro Fonteio dixisse videtur.[3] Tenuerat is provinciam Galliam praetor per triennium, ut supra ad annum DCLXXIX. annotavi. Reversus autem Romam repetundarum reus factus est a Gallis: quod Fonteio praetore oppressa aere alieno provincia fuisset, quaestum ipse ex viarum munitione fecisset et portorium vini instituisset. Accusavit eum M. Plaetorius, subscriptore M. Fabio: defendit M. Cicero circa hoc tempus, cum iam equites cum senatoribus ex lege Aurelia iudicarent, quod orationis verba ostendunt; vid. cap. 12. Sequitur oratio pro A. Caecina, cuius tempus incertum,[4] argumentum vero tale est: M. Fulcinius, Tarquiniensis, Caesenniae uxori moriens usumfructum omnium bonorum suorum legavit, ut frueretur una cum filio herede instituto. Filio mortuo et auctione bonorum constituta, Caesennia fundum ex iis bonis emere de sententia amicorum constituit idque negotium Sex. Aebutio dedit,

---

1) Cfr. Pighium Vol. 3. pag. 312., qui item Manutium errasse contendit.

2) Addenda, quae de hoc templo et Catulo disputat Valesius ad Ammian. Marcell. XIV, VI. pag. 34. Gron.

3) Cfr. Ferratii Epp. pag. 235.

4) Idem Ferratius pag. 237. disputationem de tempore huius orationis ita concludit: „Dicendum est, Caecinae causam fuisse aliquanto ante praeturam Ciceronis et consulatum C. Pisonis (i. e. ante a. u. c. 686. Fast. Capitol.)

ui fundus, pecunia Caesenniae emptus, fuit addictus. Caesennia, cum non multo post A. Caecinae nupsisset eumque heredem fecisset, decessit. Tum Aebutius fundum illum, quem mandato Caesenniae emerat, suum esse dixit. Itaque constitutum fuit, quo die in rem praesentem veniretur, ut, cum Caecina de fundo esset deiectus, interdictum a praetore postularet. Verum Aebutius fundo occupato, Caecinam in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu ingressuque prohibuit. Repulsus Caecina interdictum de armatis hominibus a Dolabella praetore impetravit, ut unde deiectus esset, eo restitueretur. Aebutius restituisse se dixit: in eamque rem sponsio facta est. De qua recuperatores, a praetore dati, cognoverunt. Tota quaestio definitionis est, An interdicto de vi teneatur etiam is, qui non deiecit de fundo, sed ab eius ingressu prohibuit? de qua re Cicero in Oratore cap. 29. *Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus.*

Anno urbis DCLXXXV. Ciceronis XXXIX. coss. fuerunt

L. CAECILIUS METELLUS, Q. MARCIUS REX.

De his consulibus Cicero in Pisonem cap. 4.: *Aude nunc, o furia, de tuo* (consulatu) *dicere, cuius fuit initium ludi compitalicii tum primum facti post L. Metellum et Q. Marcium coss. contra auctoritatem huius ordinis.* Ita enim recte Paulus Manutius nomina mendosa restituit. Idem Manutius hoc anno epistolam 5. libr. I. ad Atticum scriptam putat: in qua de L. Ciceronis morte agit. [1] Hoc anno P. Clodius Luculli exercitum in Nisibis urbis obsidione sollicitavit, auctore Dione lib. XXXV, 14.; unde Cicero de Haruspicum resp. cap. 20. *Post exercitu L. Luculli sollicitato, fugit illinc.*

Anno Urbis DCLXXXVI. Ciceronis XL. coss. fuerunt

C. CALPURNIUS PISO, M'. ACILIUS GLABRIO.

Hi consules nominantur a Cicerone lib. XII. ep. 22. ad Att. et Philippica secunda cap. 5.; quibus C. Triarius, legatus Luculli, a Mithridate victus fuit, ut Dio, Plutarchus et Appianus scribunt: qui addunt cecidisse tum centuriones CL., tribunos XXIV. et castra Romanorum a Mithridate capta fuisse. Haec est illa calamitas, quam Cicero in Maniliana cap. 9. tantam fuisse ait, *ut eam ad aures L. Luculli imperatoris non ex praelio nuncius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in ipso illo malo gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui*

---

1) Cfr. Tunstalli Epistolam pag. 12. Ab hoc demum anno incipiunt Ciceronis Epistolae nobis servatae et quidem a Lib. I. ad Atticum. Ex toto consulatu nulla superest epistola.

iam stipendiis confectis erant, *dimisit*, *partem Glabrioni tradidit:* hactenus Cicero. Confectis stipendiis erant milites Valeriani, *Οὐαλέριοι οἱ τῆς στρατείας ἀφεθέντες*, ut Dio loquitur (Lib. XXXV, 14. Vol. I. pag. 200. Sturz, qui edidit *Οὐαλέρειοι.*): qui addit, turbam etiam tum factam, cum milites Acilium consulem, qui, ut Lucullo succederet, missus erat, adventare audirent. Atque Acilius Glabrio est, quem Cicero in Maniliana Lucullo successisse ait. Huc pertinent verba illa Salustii, quae ex lib. V. histor. apud Priscianum lib. XVIII. leguntur: *Legiones Valerianae*, *comperto*, *lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam*, *sese missos esse.* Fuit enim hoc anno tribunus pl. A. Gabinius: qui, cum piratae non solum maria, verum etiam oras maritimas suis latrociniis infestas redderent, ut praeter historicos Cicero in Maniliana cap. 11. ait; de uno imperatore contra praedones constituendo legem initio sui tribunatus promulgavit. Unde idem post reditum in senatu cap. 5. de Gabinio: *Qui in magistratu*, inquit, *nisi rogationem de piratico bello tulisset*, *profecto et egestate et improbitate coactus*, *piraticam ipse fecisset.* Tum Hortensius in senatu contra Gabinium graviter ornateque dixit. Q. Catulus cum ex populo Rom. quaereret, si in uno Pompeio omnia ponerent, si quid eo factum esset, in quo spem essent habituri: cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso se spem habituros esse dixerunt. Haec Cicero pro lege Manilia cap. 20., ubi cap. 12. extr. ait etiam, Pompeium hoc bellum piraticum, quod ipse cum Salustio maritimum nominat, extrema hieme apparasse, ineunte vere suscepisse, media aestate confecisse. Inter Gabinii collegas fuit L. Roscius Otho, quem Cicero pro Murena cap. 19. ait restituisse equestri ordini non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Tulit enim hoc anno tribunus pleb. legem, ut equitibus Rom. in theatro quattuordecim gradus proximi assignarentur: auctor Livius lib. XCIX. et Dio libro XXXVI, 25. De eadem lege Asconius in Cornelianam ita scribit: *Roscia est*, *qua L. Roscius Otho biennio ante confirmavit*, *ut in theatro equitibus Romanis XIV. ordines spectandi gratia darentur.* Meminit eiusdem Tacitus libr. XV. cap. 32. Horatius in Epodo 4. et Epist. lib. I. ep. I. v. 62. et Iuvenalis Satir. III. v. 159. et Sat. XIV. v. 324. Tu vide Xylandrum in Annotationibus in Plutarchi Ciceronem; in quas ea transtulit, quae ante biennium ad ipsum pro nostra amicitia miseram.[1] Eodem anno, cum magnus ambitus esset, C. Cornelius tribunus pleb. is, qui biennio post maiestatis reus a Cicerone defensus est, legem de ambitu tulit: in qua gravissimis poenis crimen hoc sanxit. Quare senatus consulibus mandavit, ut huic rei moderarentur: qui tum legem tulerunt, auctore Dione XXXVI, 21., ut eorum, qui ambitus convicti essent, nemini aut magistratum gerere aut in senatu esse liceret, addita etiam multa pecuniaria. Haec

---

1) Hoc anno Cicero dixit pro P. Oppio, M. Aurelio Cotta ex Asia Romam reverso, a quo proconsule P. Oppius quaestor, quod repetundarum insidiarumque suspicionem sibi contraxerat, in urbem est relegatus. Huius patrocinium Cicero suscepit, Cotta reum testimonio suo urgente. Cfr. Dionem 36, 23. Tom. I. p. 244. Sturz.

est lex Calpurnia de ambitu, quam severissime scriptam fuisse Cicero pro Murena cap. 23. ait. Indicta erant tum comitia, ante quae, ut Dio scribit, nihil sciscere licebat: sed, cum interim candidati multa nefaria facerent caedesque fierent, senatus decrevit, ut, antequam lex de ambitu lata esset, comitia ne haberentur, et consulibus praesidium daretur. Excitavit etiam turbas Cornelius, ut Dio et Asconius scribunt: ob quas cum dilata comitia essent, Cicero ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus est, ut ipse in Maniliana cap. 1. testatur. Licebat autem ei praeturam petere hoc tempore biennio post aedilitatem. Vide epist. 25. lib. X. ad Fam. In praeturae petitione competitores illustres multos cum haberet, praetor primus designatus est, auctore Plutarcho. Ipse praeterea in Bruto se et praetorem primum et incredibili populi voluntate esse factum ait cap. 93. Idem in Pisonem cap. 1. confirmat. Cicero igitur praetor primus, id est primo loco factus, fuit ex octo illis, qui tum fiebant. Praetores cum Cicerone designati septem hi fuerunt, Q. Voconius Naso, M. Plaetorius, C. Flaminius, C. Orchinius, C. Aquillius Gallus, P. Cassius, et C. Antonius: Cicero pro Cluentio cap. 34. et 53. et Asconius. De comitiis praetoriis agit Cicero epistola 8. et 9. lib. I. ad Att. quae hoc anno scriptae fuerunt. In nona candidatos omnibus iniquitatibus exercitos fuisse testatur. Extremo huius anni mense, a. d. IV. Id. Decembr. (quem diem tribunorum pleb. ineundo magistratui sollemnem fuisse ex Livio lib. V. cap. 9. et Dionysio lib. VI. cap. 89. patet) C. Manilius tribunatu inito, post pauculos dies subnixus libertinorum et servorum manu legem tulit, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset; auctor Asconius in Cornelianam et Milonianam. Atque hoc Dio lib. XXXVI. 25. ita scribit: *τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν.* Quorum verborum sententia, a docto interprete non satis bene expressa, haec est: *Manilius libertinis extremo anni die sub vesperam, comparatis nonnullis e multitudine, lege lata dedit, ut cum patronis suis suffragia ferrent.*

Anno Urbis DCLXXXVII. Ciceronis XLI. coss. fuerunt

M'. AIMILIUS LEPIDUS, L. VOLCATIUS TULLUS.

Hos consules nominat Cicero in Catil. I. cap. 6. et pro Sulla cap. 4. quibus ipse Kal. Ianuariis praeturam iniit, quam hoc anno gessit. Indicat Asconius in Cornelianam princ. (Ed. Bait. p. 59.) *Sequenti*, inquiens, *anno M'. Lepido, L. Volcatio coss., quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt.* Indicat idem Cicero pro Caelio cap. 4. *Fuit assiduus mecum praetore me: non noverat Catilinam: Africam tum praetor ille obtinebat, secutus est annus, causam de pecuniis repetundis Catilina dixit.* Quare si Catilina causam de pecuniis repetundis anno sequente Cotta et Torquato coss. dixit, ut ex Asconio et oratione pro Sulla cognoscitur, hoc anno, quo ille Africam obtinuit, Cicero praetor Romae fuit: quod Dio

exponens res gestas huius anni diserte scribit l. XXXVI. 27. Praetor Cicero quaestioni de pecuniis repetundis praefuit, ut ipse pro Rabirio Postumo cap. 4. ita confitetur: *Accusavi de pecuniis repetundis, iudex sedi, praetor quaesivi;* et pro Cornelio princ. *Postulatur apud me praetorem primum de pecuniis repetundis.* Idem ostendit pro Cluentio cap. 53., ubi quaestionem de pecuniis repetundis *suam* vocat. Iudicia Cicero, ut Plutarchus scribit, visus fuit caste integreque exercere. De Licinio Macro idem memoriae proditum ait, eum, qui et ipse multum in civitate poterat et Crasso patrono utebatur, cum de pecuniis repetundis apud Ciceronem praetorem accusatus esset, et iudices adhuc sententias ferrent, fretum sua potentia et studio amicorum domum abiisse, et caput statim totondisse, sumptaque veste pura tanquam victorem in forum revertisse. Sed cum Crassus, in vestibulo occurrens, eum omnibus sententiis damnatum esse dixisset: reversum decubuisse atque ita decessisse aiunt. Quae res Ciceroni, ut qui iudicia magna cum diligentia exerceret, gloriam peperit. Hactenus Plutarchus c. 9. Valerius Maximus lib. IX. cap. 12. rem paulo aliter narrat. Cicero autem ep. 41. lib. I. ad Att., quam hoc anno praetor scripsit: *Nos*, inquit, *hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus: cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* Meminit in eadem epistola comitiorum Q. fratris, quibus ille aedilitatem petiisse videtur.[1] Kal. Ian. huius anni C. Manilii lex de libertinis S. C. damnata fuit, auctore Dione XXXVI. 25. Tum Manilius, ut Pompeii gratiam colligeret, legem promulgavit, ut Pompeio, qui tum in Sicilia belli maritimi reliquias persequebatur, Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor cum omni apparatu belli piratici et copiis omnibus, quae sub Lucullo meruerant, bellumque Mithridaticum, quod Lucullus iam annis septem gesserat, committeretur; Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridatico, Dio lib. XXXVI. 27. Hanc legem promulgatam Q. Catulus et Hortensius, viri consulares, de more dissuaserunt; Cicero praetor suasit oratione, quae pro lege Manilia exstat: qua bellum Mithridaticum et genere necessarium et magnitudine periculosum Cn. Pompeio, in quo summa esset scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas, transmittendum esse persuasit. Eodem anno A. Cluentius Avitus, veneficii a T. Atio accusatus, a Cicerone praetore apud Q. Voconium defensus fuit. Veneno sustulisse cum alios nonnullos, tum Oppianicum, vitricum suum, arguebatur. Sed Cicero, antequam ad hoc crimen veniat, Cluentium longa defensione primum de falsa infamia purgat. Cum enim Oppianicus ante annos octo, Lucullo et Cotta coss., ut supra demonstravimus, a Cluentio accusatus et condemnatus esset; defensor eius L. Quintius rem in invidiam ad-

1) De Quinti aedilitate propter temporis, ut videtur, obscuritatem prorsus tacet. Eius comitia aedilitia obeunda erant mense Quintili anni eius, qui Ciceronem praetorem, Lepidum et Tullum coss. habuit. Ita Quintus suis annis honores, tum in Urbe praetorium, tum in Asia provincialem obtinebit. Tunstalli Epist. p. 12.

duxit, cum diceret, pecuniam in iudicio fuisse versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus Rom. non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit, ut scribit Asconius in Verr. II. cap. 10. Hoc tempore Ciceronem etiam pro M. Fundanio et Q. Gallio dixisse Carolus Sigonius in fragmentis Ciceronis annotavit: sed de oratione pro Gallio dissentio. M. Ciceronem etiam, cum praetura fungeretur, scholam M. Antonii Gniphonis frequentasse Tranquillus de illustribus Grammaticis cap. 7. auctor est. Cum P. Vatinius, patronus asper et magistratuum contemptor, strumis oppletum collum haberet ac coram a Cicerone praetore aliquid peteret idque ille non concederet, sed diu deliberaret, dixit, ea de re se, si praetor esset, nihil dubitaturum. Cui Cicero: *At ego tantas cervices non habeo.* Extremo mense huius anni, cum Ciceroni iam biduum aut triduum praeturae superesset, Manilium quidam furti apud ipsum postulavit. Studebat Manilio populus, quod propter Pompeium, cui amicus erat, accusari videretur. Cum igitur Manilius unum diem petiisset ac Cicero tantum insequentem dedisset, populus indigne tulit; quod mos esset ut decem minimum dies praetores reis darent. Quare productus in concionem a tribunis pl. ibique accusatus, cum rogasset, ut audirent, dixit: Se, qui in reos semper, quantum leges permitterent, comis et humanus fuisset, indignum iudicasse, non eundem se Manilio praestare; itaque ei diem, quem unum praetor in sua potestate haberet, dedita opera praefinivisse, cum non sit eius, qui rei causam adiuvare velit, ad alium magistratum iudicium reiicere. Hac oratione animi populi ita commutati sunt, ut Ciceronem laetis acclamationibus prosecuti rogarent, ut Manilii patrocinium susciperet; quod ille praesertim ob Pompeium absentem cupide recepit magnaque vi orationis in studiosos potentiae paucorum et Pompeii invidos invectus est. Hactenus Plutarchus c. 9. Dio autem de eadem re in hanc sententiam scribit XXXVI. 37. *Cum homines nobiles Manilio accusationem comparassent, isque in hoc incumberet, ut dies sibi prorogaretur, Cicero praetor et quaestionis iudex praeter alia, quae contra Manilium fecit, vix in posterum diem iudicium distulit, anni et praeturae exitum praetexens. Quod cum multitudo indigne ferret, in concionem venit, coactus a tribunis pl. senatumque insectatus, Manilii causam defensurum se promisit.* Sed quo minus hoc iudicium fieret, Dio tumultum in causa fuisse ait: quem brevi expediam. Comitia consularia hoc anno habente L. Volcatio Tullo, consules designati fuerunt P. Autronius Pactus et P. Cornelius Sulla. Designatos iam L. Cotta et L. Torquatus lege Calpurnia de ambitu, de qua diximus, accusarunt et damnarunt atque ad se magistratum transtulerunt; ut Cicero in orat. in toga candida, Asconius in eam, Salustius Cat. cap. 18. et Dio testantur. Cicero quoque lib. II. cap. 19. de Finib. ait, L. Torquatum adolescentulum eripuisse P. Sullae consulatum et ad patrem suum rettulisse. Eodem tempore Catilina, cum de provincia Africa decessisset petiturus consulatum, pecuniarum repetundarum reus factus, prohibitus fuit petere, auctore Salustio Cat. cap. 18. et Asconio in or. in toga candida. Tum contra rem publ. con-

iuraverunt pauci; in quibus a Salustio P. Autronius, L. Catilina et Cn. Piso numerantur. Dio XXXVI. 27. et Suetonius in Caes. cap. 9. illis addunt P. Sullam; nec dissentit Livius lib. CI.; quo nomine Sulla post annos quattuor a L. Torquato accusatus, ab Hortensio et Cicerone defensus fuit. Hi circiter Nonas Decembr. consilio communicato, parabant in Capitolio Kalend. Ian. Cottam et Torquatum coss. interficere. Ea re cognita in Nonas Februar. consilium caedis transtulerunt. Sed neque tum caedes facta est; quod Catilina signum coniuratis prius, quam parati essent, dederit: Salustius et Asconius d. l.

Anno Urbis DCLXXXVIII. Ciceronis XLII. coss. fuerunt

L. AURELIUS COTTA, L. MANLIUS TORQUATUS.

Horum consulum meminit Cicero Agraria II. cap. 17. et in Catilin. III. cap. 8. his verbis: *Memoria tenetis, Cotta et Torquato coss. complures in Capitolio turres de caelo esse percussas; cum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt et statuae veterum hominum deiectae et legum aera liquefacta. Tactus est etiam ille, qui hanc Urbem condidit, Romulus.* Eadem prodigia Cicero in secundo de consulatu Uraniam Musam narrantem fecit versibus elegantissimis, qui exstant l. I. cap. 11. seq. de Divinat.; de iisdem Obsequens c. 122. et Dio lib. XXXVII. 9. M. Tullius ex praetura in provinciam ire noluit, ut ipse pro Murena testatur, sed cum anno sequente consulatum petere cogitaret, hoc tempore prensabat. Qua de re ait in ep. 1. lib. I. ad Att., quam hoc anno ante comitia consularia Attico scripsit. His consulibus Cicero C. Cornelium de maiestate apud Q. Gallium praetorem quatriduo defendit: quas actiones in duas orationes collatas edidit, auctore Asconio, apud quem reliquiae orationum exstant.[1] Eodem anno, ut Dio lib. XXXVII. 9. scribit, C. Papius, tribunus pl., legem tulit, ne quis peregrinus in urbe esset. Hinc Cicero lib. III. cap. 11. de Officiis: *Male etiam, qui peregrinos urbibus prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper.* Hanc legem Papiam nominat idem pro Archia cap. 5.; eandem intelligit in Agraria prima cap. 4., cum inquit: *Simillime atque in illa lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur.* Hoc quoque anno Catilina accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente: Cicero pro Caelio cap. 4. et Asconius in Toga candida (p. 92. ed. Bait.).[2]

---

1) *Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis proeliatus in causa est Cicero Cornelii; qui non assecutus esset docendo iudicem tantum et utiliter demum ac Latine perspicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione solum, sed etiam plausu confiteretur.* Quintil. 8, 3, 3.

2) In ea actione patronum Catilinae Ciceronem fuisse contra tuam (Middleton T. I. p. 174.) Asconiique sententiam prorsus contendo. Nam omnino nihil est, quod Asconius praecipue argutatur, Ciceronem id defensionis beneficium Catilinae numquam exprobrasse. Ista enim res Ciceroni alicui turpitudini fuit. Siquidem Catilina *tam invidiosus* ex eo iudicio *discessit, ut aliud in eum iudicium quotidie flagitaretur.* (Q. Cicero de petit. cons. §. 3.) More igitur suo consilioque prudentissimo Cicero ad vitandam invidiam tacet. Ecce enim in eodem Catilina: *rogatus ego sententiam*, inquit (ad Attic. I, 16.), *dixi-bis absolutum esse Len-*

Reo de pecuniis repetundis Catilinae advocatus fuit Torquatus consul; pro Sulla cap. 29. Clodius accusator a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur: de Harusp. resp. cap. 20.

Anno Urbis DCLXXXIX. Ciceronis XLIII. coss. fuerunt

L. IULIUS CAESAR, C. MARCIUS FIGULUS.

Hos consules nominat Cicero pro Sulla cap. 20.; iisdem se filiolo (Marco) auctum scribit ep. 1. lib. I. ad Attic.[1] Quia vero annus XLIII. legibus Romanis consularis fuit, ut Cicero Philipp. V. cap. 17. ostendit, ideo Cicero hoc anno consulatum petivit; de quo pro Caelio cap. 4. *Deinceps fuit annus*, inquit, *quo ego consulatum petivi.* In consulatus petitione sex competitores Cicero habuit, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Cassium Longinum, Q. Cornificium, et C. Licinium Sacerdotem; de quibus Asconius in orat. in tog. cand. Q. Cicero de petitione cons. cap. 2. Cicero ipse ad Attic. I. Ep. 1. In his patricii duo fuerunt, P. Galba et L. Catilina; de quibus Cicero pro Murena cap. 8. *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem; superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.* Cum autem in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Cui rei cum Q. Mucius Orestinus, tribunus pl., intercessisset, graviter senatu intercessionem ferente, Cicero surrexit atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est, habita oratione in toga candida. Utebatur enim hoc tempore magistratum petens candida toga, quam Polybius lib. X. *τήβεννα λαμπρὰν* nominat. Eam orationem, cuius fragmenta apud Asconium exstant, Quintilian. lib. III. cap. 9. vocat *librum in competitores*, quem vituperationem continere ait et tamen in senatu esse habitum loco sententiae. Catilina, iam convocatis iis, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciae inerat, consilium suum exposuerat: quod per Fulviam in volgus prolatum in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni; ut Salust. Catil. cap. 23. scribit. *Itaque*, ait Asconius in or. in Toga cand. extr., *Cicero consul omnium consensu factus est; Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit.* Et ipse in Pisonem cap. 1. *Me cuncta Italia, me omnes*

---

tulum, bis *Catilinam.* Ad quae Manutius, *ego tamen*, inquit, ter *absolutum Catilinam invenio. — de tribus absolutionibus unam omittit, in crimine scilicet incestus, ne Fabiae, Terentiae, uxoris suae sorori, turpem impudicitiae notam inureret.* Noluit Catilinae invidiam cum suorum ignominia facere. – – Meae sententiae auctores habeo Fenestellam et, quod multo magis est, Ciceronem ipsum. *Hoc*, inquit (ad Attic. I, Ep. 2.), *tempore* (nam iudicium aderat) *Catilinam — defendere cogitamus.* Etiam reiectio iudicum iam erat facta. *Iudices*, inquit, habemus, *quos voluimus, summa accusatoris voluntate.* Volente neque recusante P. Clodio accusatore iudices Cicero obtinuit eos, quos ipse patronus voluisset: *ut Clodius infamis fuerit, quippe qui praevaricatus est; nam et reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur esse facta.* (Ascon. in Tog. Cand.) Tunstalli Ep. p. 27.

1) Cfr. supra ad a. u. c. 676.

ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit. Item Agraria secunda cap. 2. *Est illud amplissimum, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis; quod prima petitione; quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; neque singulae voces praeconum, sed una voce universus pop. R. consulem declaravit.* Hoc anno Ciceronem Q. Gallium de ambitu defendisse, ut putem, Asconius facit: qui in Orat. in toga candida scribit, postea defensum esse Gallium. Praetor fuerat anno superiore: hoc vero tempore de ambitu accusatus fuit, quod, praeturae candidatus cum esset, gladiatorium dedisset. Auctor Asconius. Eodem anno illud memoria dignum accidisse Dio XXXVII. 10. scribit, quod is, qui Sullae iussu Lucretium occiderat, et alius, qui multos proscriptos interfecerat, rei inter sicarios facti et condemnati sunt, auctore in primis Iulio Caesare: ubi L. Bellienum et L. Luscium significari ex Asconio in orat. pro Ligario cap. 4. scripsi, ubi Cicero ait Sullanam crudelitatem a C. Caesare esse vindicatam. Caesar enim hoc anno in exercenda de sicariis quaestione eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex aerario acceperant, auctore Suetonio in Caes. cap. 11. Eas vero pecunias M. Catonem quaestorem anno superiore, Cotta et Torquato coss., item exegisse Plutarchus in Catone scribit. Neque solum hoc praeter opinionem multitudinis accidisse Dio ait; verum etiam quod Catilina, qui permultos a Sulla proscriptos occiderat, in iudicium adductus et absolutus fuit. Atque hoc est illud iudicium, in quo Catilinae Torquatum non adfuisse, cum adessent ceteri, Cicero pro Sulla cap. 29. dicit. Catilinam a L. Lucullo reum inter sicarios factum post repulsam Asconius scribit. Fuit hoc anno censor L. Aurelius Cotta, ut Plutarchus in Cicerone c. 27. ostendit. Itaque L. Cotta homo censorius dicitur, pro domo sua cap. 32. Extremo huius anni mense P. Servilius Rullus, tribunus pl., inito magistratu legem agrariam promulgavit, ut decemviri summo cum imperio crearentur, qui in sua potestate Italiam totam, Syriam universam eaque omnia, quae virtute Pompeii recens imperio Romano adiecta erant, haberent; venderent quidquid publicum populi Rom. esset; iudicarent de omnibus, de quibus ipsi vellent; exsules eiicerent, colonias deducerent, pecuniam ex aerario caperent, milites, quot opus haberent, conscriberent et alerent. Haec capita legis agrariae Plutarchus in Cicerone c. 12. recenset: ipse in orationibus plura habet, sed quae ad haec pertineant.

Anno Urbis DCXC. Ciceronis XLIV. coss. fuerunt

M. TULLIUS CICERO, C. ANTONIUS.

Kal. Ianuariis Cicero rem publicam accepisse plenam sollicitudinis, plenam timoris, in qua nihil esset mali, nihil adversi, quod non boni me-

tuerent, improbi exspectarent, ait Agrar. II. cap. 3. Nam tribuni pl., ut Dio scribit, nacti Antonium consulem moribus sibi simillimum, partim liberos eorum, qui a Sulla proscripti honorum petitione privati erant, ad magistratus adducebant; partim P. Paeto et Cornelio Sullae, qui cum ipso damnatus fuerat, senatoriam dignitatem restituebant, atque ut magistratus gerere possent, permittebant; alii novas tabulas proponebant, alii legem ferebant de agris dividendis per Italiam et ditiones, quae pop. Rom. imperio parebant. Hactenus Dio XXXVII. 25. Multa Antonius, collega Ciceronis, in re publica moliebatur; favebat legi agrariae, et Catilinae familiaris ab eius consiliis non erat alienus: quod Cicero pro Sestio cap. 3. et in Pisonem cap. 2. Salustius, Plutarchus et Dio significant. Erat enim inflatus Catilina Antonii promissis; pro Murena cap. 24. Hunc igitur Cicero patientia et obsequio suo primum mitigavit, atque ita de lege agraria coepit agere. Kalendis Ianuariis inito consulatu, senatum et bonos omnes legis agrariae maximarumque largitionum metu liberavit; ut ipse in Pisonem c. 4. ait. Tum primam orationem consularem habuit in senatu, ep. 1. lib. XI. ad Att.; atque haec est oratio prima contra Rullum, cuius pars exstat, in qua disputat contra venditionem rerum publicarum, emptionem agrorum et deductionem coloniarum. Hac oratione Plutarchus c. 12. auctores legis ita perterritos fuisse ait, ut nihil contra dixerint. Cum deinde iidem consules in concionem vocarent, Cicero populo Rom. disceptatore uti non dubitavit. Sed, cum senatum se sequi iussisset, progressus secundam orationem consularem ad populum de lege agraria dixit: in qua legem Serviliam antiquandam esse suadet, quod per eam Rullus simulatione largitionis tyrannidem constituat; cum et decemviris creandis libertatem populo eripiat et in agrorum venditione atque emptione coloniarumque deductione tyrannicam potestatem ipsis permittat. Hac oratione Plutarchus ait Ciceronem non modo legem eiecisse, verum etiam tribunos in desperationem reliquorum, quae moliebantur, coniecisse. Huc accesserunt duae orationes breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae; ut scribit ad Atticum ep. 1. lib. XI. Harum una, quae contra Rullum ad populum tertia legitur, brevissima exstat, qua se defendit contra accusationem tribunorum, qui Ciceronem gratificantem Sullanarum assignationum possessoribus agrariae legi obsistere criminati erant. Ita factum est, ut, Cicerone dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicaverint tribus; ut Plinius lib. VII. cap. 30. ait. Quanta vis dicendi et eloquentia in Cicerone fuerit, Plutarchus c. 13. in eo quoque declaratum fuisse ait, quod in illius consulatu circa spectacula evenit. L. Roscius Otho legem theatralem Pisone et Glabrione coss. tulerat, ut supra demonstravimus: quam plebs ad ignominiam suam pertinere censuit; ideoque Roscium in theatro sibilis consectata est, cum equites contra illum plausu exceperunt. Sublato deinde maiore hinc sibilo, inde plausu, convicia et tumultus tota cavea consecutus est. Quo audito, M. Tullius in theatrum venit et populum, in aedem Bellonae evocatum, reprehendendo et admonendo castigavit. Hanc orationem consularem tertiam de Othone appellat lib. XI. ep. 1. ad Att.: qua effectum est, ut Roscio, theatralis auctori legis, plebs ignoverit

et notatam se discrimine sedis aequo animo tulerit; ut Plinius lib. VII. cap. 30. testatur. Plutarchus vero scribit, plebem ex aede Bellonae in theatrum reversam Othoni magnum plausum dedisse et de ornando viro equestri ordini nihil concessisse. Quarta oratio consularis pro Rabirio exstat, sed imperfecta. Unde orta haec causa fuerit, diximus supra ad annum DCLIII., quo Saturninus occisus fuit. Hoc vero tempore C. Iulius Caesar T. Labienum subornavit, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret; ut Suetonius in Caes. cap. 12. scribit, et Dio pluribus verbis libro XXXVII. 26.[1] Est autem perduellio summum imminutae maiestatis crimen: de quo duumviri, a populo creati, quaerere solebant; quod vetus lex apud Livium libro I. cap. 26. ostendit. Itaque C. et L. Caesares, duumviri in hac causa creati, non a populo, ut moris erat, sed a praetore, quod non licebat, Rabirium condemnarunt, ut Dio scribit. C. Caesar, auctore Suetonio, sorte iudex in reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit. Populo appellato, comitia centuriata, quibus de perduellione iudicari solebat, in campo Martio habita sunt, ubi consul Cicero C. Rabirium defendit, tum quod senatus imperio paruisset, tum quod fidem publicam non violasset, quam Marius sine S. C. dare non potuisset. De hac causa in Pisonem cap. 2. haec dixit: *Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi.* De eadem in Oratore cap. 29. *Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.* Quinta oratio consularis fuit de proscriptorum liberis. Hi sunt, quos Plutarchus in Cic. c. 12. scribit lege Cornelia honoribus exclusos, cum neque infirmi neque pauci essent, populum concitasse: ac iuste quidem Sullae tyrannidem accusasse, verum alieno tempore rem publicam perturbasse. Dictator enim Sulla non solum inimicos suos proscripsit; sed eorum etiam filios petendorum honorum iure lege lata privavit: auctores sunt Plutarchus in Sulla, Paterculus lib. II. cap. 28. et Dionysius Halicarnasseus lib. VIII., qui addit illis etiam aditum in senatum obstructum fuisse. Itaque petentibus illis, ut lege Cornelia abrogata capessendorum honorum potestas sibi fieret; Cicero consul restitit: qua de re Quintilianus lib. XI. cap. 1. §. 85. et Cicero in Pisonem cap. 2. *Ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, rei publicae statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi.* Hinc Plinius lib. VII. cap. 30. Ciceronem appellans, *Te orante*, inquit, *proscriptorum liberos honores petere puduit.* Sextam orationem consularem M. Tullius ad Atticum numerat, quam habuit, cum provinciam in concione deposuit. Provincias senatus consulibus lege Sempronia decreverat Macedoniam et Galliam cisalpinam. Macedoniam, ut Dio scribit XXXVII. 33., Cicero,

---

1) De iudicii Rabiriani genere cfr. Niebuhrium Fragm. Cic. Ed. Rom. p. 69. „Aut nunquam perduellionis iudicium in Rabirium a populo habitum esse, aut, siquidem illius periculum callido Q. Metelli consilio depulsum fuerit, T. Labienum eidem reo multam irrogasse, ex ipsa oratione perspicue intelligitur."

Galliam Antonius erat sortitus. Commutatis deinde provinciis, Cicero pro illa hanc recepit acceptamque in concione deposuit. Hinc in Pisonem c. 2. *Ego*, inquit, *provinciam Galliam senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam et quam cum Antonio communicavi* [*commutavi* fortasse rectius, [1]] *quod ita existimabam tempora rei publicae ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano.* Interim L. Sergius Catilina arma per Italiam locis opportunis parabat, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad C. Mallium centurionem portabat. Denique plurimos cuiusque generis homines adsciscebat et in proximum annum consulatum petebat, ut Salustius cap. 24. et 26. scribit. Cum omnia, ut consul designaretur, Catilina moliretur nihilque intentatum relinqueret, M. Tullio referente placuit senatui, ut ad poenam, quae ambitus crimini constituta erat, decem annorum exsilium lege ad populum lata adderetur; haec Dio XXXVII, 29. Legem de ambitu se consulem tulisse Cicero quoque pro Murena aliquoties (velut cap. 3.) significat: item in Vatinium cap. 15. *Atque illud etiam audire a te cupio, quare cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege Aelia et Fufia: tu eam esse legem non putes?* Vetabat eadem lex biennio, quo quis peteret petiturusve esset, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die; ut ibidem et pro Sestio cap. 64. ait. Cum Catilina, ut Dio tradit, hanc legem Tulliam contra se ex S. C. latam putaret, manum quandam comparavit et Ciceronem cum aliis nonnullis principibus in campo comitiis interficere conatus est, ut ipse confestim designaretur. Edicta comitia consularia fuisse videntur in ante diem XII. Kal. Novemb., qui nominatur in Catil. I. cap. 3.; sed, cum pridie eius diei Cicero Catilinae consilia ad senatum detulisset, factum est S. C., ne postero die comitia haberentur, ut de iis rebus in senatu agi posset. *Itaque postridie*, inquit Cicero pro Murena cap. 25. *frequenti senatu Catilinam excitavi atque eum de iis rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit: tum enim dixit, duo corpora esse rei publicae, unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite; huic, cum ita de se meritum esset, caput se vivo non defuturum.* Hactenus Cicero; idem est apud Plutarchum cap. 14. Eo die, id est, octavo decimo ante, quam primam Catilinariam Cicero dixit, ut Asconius in Orat. in Pisonem cap. 2. (Ed. Bait. pag. 6.) scribit, factum est S. C., ut viderent consules, ne quid res publica detrimenti caperet: de quo Salustius cap. 29. et Plutarchus, qui addit, hoc S. C. facto Ciceronem res externas Q. Metello Celeri commisisse, ipsi Urbem curae fuisse; idem Cicero ep. 2. lib. V. ad Famil. significat. Comitiis, quod homines iam tum coniuratos, ut pro Murena cap. 26. testatur, in campum deduci sciebat, descendit in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum et cum illa lata insignique lorica, ut omnes boni animadverterent et, cum in metu et periculo consulem

1) *Commutavi* receperunt Ern. et Schuetz. Mihi Codd. lectio praestare videbatur.

viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque eius concurrerent. Tectus igitur praesidio firmo-amicorum Catilinae tum et Autronii copias et conatum repressit; ut ait pro Sulla cap. 18. et in Catilin. I. cap. 5.: *Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato.* Loricae, qua tectus Cicero in campum descendit, meminerunt Plutarchus et Dio. His comitiis Catilina repulsam iterum tulit: consules declarati sunt D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena. *Cum igitur nihil*, inquit Dio XXXVII. 32., *Catilinae procederet, iussit coniuratos noctu in domum quandam convenire.* Fuit ea domus M. Porcii Laecae, in quam coniuratos nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembr., Catilinae denuntiatione convenisse Cicero pro Sulla cap. 18. ait. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per Urbem caedis atque incendiorum constituta est: quod a Cicerone Orat. I. et II. in Catil. et a Salustio explicatur. Dixit ibi Catilina, paullulum esse sibi etiam tum morae, quod Cicero viveret: reperti sunt duo equites Romani, qui sese illa ipsa nocte paullo ante lucem Ciceronem in suo lectulo interfecturos pollicerentur; Orat. I. cap. 4. in Catil. Alter eorum C. Cornelius a Salustio cap. 28. et Cicerone pro Sulla cap. 6. nominatur:, ei Salustius L. Vargunteium addit, qui senator, non eques fuit. Plutarchi libri cap. 16. Marcium et Cethegum habent. Dio neutrius nomen expressit. Cum autem Cicero per Fulviam de dolo, qui parabatur, vixdum etiam coetu illo dimisso certior factus esset, domum suam maioribus praesidiis munivit atque firmavit; exclusit eos, quos Catilina mane ad ipsum salutatum miserat. Cic. in Catil. I. cap. 4. Salustius, Plutarchus, Appianus et Dio. VI. Idus Novembr. Cicero senatum in Iovis Statoris aedem, quae erat initio viae Sacrae, qua ad Palatium ascenditur, convocavit. Venit eodem Catilina, eique nullus senator assidere voluit, ut Plutarchus scribit cap. 16. Cicero in Catil. I. cap. 7. et II. cap. 6. ait principes ordinis senatorii partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquisse. Tum M. Tullius, consul, sive praesentiam eius timens sive ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit; ait Salustius cap. 31. Haec est prima oratio in Catilinam, et septima consularis; qua Catilinam emisit, epist. 1. lib. II. ad Att. *Ego*, inquit in Pisonem cap. 2., *L. Catilinam caedem senatus, interitum Urbis non obscure, sed palam molientem egredi ex Urbe iussi: ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus.* Plutarchus cap. 16.: *Cicero eum Urbe exire iussit; oportere enim inter se, qui verbis, et illum, qui armis rem publicam gereret, murum interesse.* Catilina igitur nocte intempesta cum trecentis armatis, lictoribus et fascibus imperii insignibus adhibitis, ex Urbe in Malliana castra profectus est. Postridie, quam Catilina profugit, Cicero orationem ad populum habuit, quam octavam consularem numerat epist. 1. lib. II. ad Att. et est secunda Catilinaria: in qua orator gratulatur populo et rei publicae, quod Catilina ex Urbe

sit profectus, atque ad confirmandos animos bonorum civium et infringendos coniuratos utriusque partis copias inter se comparat. Postquam Romae compertum fuit Catilinam in castra Malliana profectum esse, senatus Catilinam et Mallium hostes iudicavit: decrevit praeterea, uti consules delectum haberent, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturaret, Cicero Urbi praesidio esset, auctore Salustio cap. 36. Catilina iam bellum gerente, cum eius socii in Urbe relicti nondum essent deprehensi [1], Cicero Murenam consulem designatum defendit; ut ex ipsa oratione cap. 27. seqq. et pro Flacco cap. 39. apparet. [2] Accusarunt eum de ambitu Ser. Sulpicius, M. Porcius Cato et Cn. Postumius. Sulpicius competitor eius fuerat et repulsam tulerat. Catonem Plutarchus in eius vita scribit iurasse, accusaturum se, quemcunque pecuniam populo dare cognovisset, ideoque Murenae nomen ab eo delatum esse, quod is pecunia effecisset, ut consul cum Silano designaretur. Defenderunt Murenam Q. Hortensius, M. Crassus, M. Cicero: qui, cum Hortensium eloquentiae laude tum florentem superare contenderet, nullam partem noctis conquievit, usque eo, ut nimiis curis et vigiliis afflictus, inferior quam ille in actione visus fuerit. Haec Plutarchus in Cicerone cap. 35., ut ego iampridem converteram: ubi quod alii *μὴ* addunt, alii *αὐτοῦ* pro *αὐτοῦ* legunt, nullo modo probare possum. [3] Interim P. Lentulus Sura legatos Allobrogum, qui Romam questum de avaritia magistratuum venerant, sollicitavit eosque in Galliam ad suos cives cum litteris misit. Cicero omni re opera Q. Fabii Sangae, patroni civitatis Allobrogum, cognita L. Valerio Flacco et C. Pomptinio praetoribus imperavit, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehenderent. Igitur IV. Nonas Decembr. cum advesperasceret, occulte eo profecti, tertia fere vigilia exacta, Allobroges cum comitatu et litteris comprehenderunt atque ad Ciceronem, cum iam dilucesceret, deduxerunt. A. d. III. Nonas Cicero principes coniurationis ad se venire iussit et senatum in aedem Concordiae vocavit. [4] Ibi T. Volturcii et Allobrogum indiciis coniuratio omnis patefacta est. Introductis in senatum indicibus Cicero constituit C. Cosconium, M. Messalam, P. Nigidium, Ap. Claudium, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent: quod ipse pro Sulla cap. 14. refert. Tum Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius et Caeparius ex S. C. in custodiam sunt traditi; quae Cicero in Catilin. III., Salustius cap. 40. seqq., Plutarchus, Appianus et Dio pluribus verbis exponunt. Eo die senatus Ciceroni togato non ut multis bene gestae, sed ut nemini conservatae rei publicae testimonium dedit et singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit; in Orat. in Pisonem cap. 3. Eiusdem supplicationis mentio est Catilin. III. cap. 10. et IV. cap. 3., Philipp. II. cap. 1. et XIV.

1) Cfr. Ferratii Epp. p. 257.

2) *Consul ego nuper defendi C. Pisonem, qui, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est rei publicae conservatus. Defendi item consul L. Murenam consulem designatum.* Pro Flacco 39.

3) Recte apud Schaeferum p. 454. *ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι.*

4) Cfr. etiam Philipp. 2, 7, 16.

cap. 8., pro Sulla cap. 30. et epist. 4. lib. XV. ad Famil. Sub noctem progressus in concionem Cicero populo, qui frequens aderat, quidquid in senatu actum erat, exposuit ea oratione, quae tertia in Catilinam exstat et nona consularis numeratur; epist. 17. lib. II. ad Att. E concione Cicero, ut Plutarchus cap. 19. scribit, in domum vicini a populo deductus fuit; eo quod domi eius in operto sacra Bonae Deae a mulieribus et Vestalibus fierent. Ibi tum peracto sacrificio, cum ignis in ara iam exstinctus putaretur, magna flamma e cineribus in altum sublata fuit. Quo ostento aliarum mentes perculsae fuerunt: Vestales Terentiam, Ciceronis coniugem, maritum adire atque dicere iusserunt, quae de patriae salute agere instituisset, ea exsequi ne dubitaret. Ostenti huius mentio est in Dionis quoque historia libro XXXVII. cap. 35. Postero die, pridie Nonas Decembr., indicibus praemia constituta fuerunt; ut Cicero in Catilin. IV. cap. 3. indicat. Nonis Decembr. cum Cicero consul intelligeret paratos esse, qui Lentulum et Cethegum eriperent, dispositis praesidiis et senatu convocato rettulit, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam traditi erant. Primus D. Iunius Silanus, quia consul designatus erat, sententiam rogatus extremum supplicium in eos decrevit. Ei assensi sunt deinceps multi, donec ad Ti. Neronem sententiae dictio pervenit. Hunc censuisse Appianus B. C. II. 5. ait, ut comprehensi in vinculis haberentur, quoad Catilina bello profligatus esset. Caesar deinde, praetor designatus, censuit eos publicatis bonis in vinculis per municipia habendos. Huic sententiae, ait Plutarchus cap. 21., cum et aequitatis plena et ab homine eloquentissimo dicta esset, momenti Cicero non parum addidit; surrexit enim atque in utramque partem disseruit, partim illam Silani, partim hanc Caesaris sententiam defendens. Quibus verbis summam quartae orationis in Catilinam comprehendit; in qua Cicero de duabus sententiis contrariis ita disputat, ut non obscure in severiorem Silani inclinet. Atque haec est decima oratio consularis, quam in senatu Nonis Decembr. habitam fuisse ipse epist. 1. libr. II. ad Att. scribit, ut satis mirari nequeam Silvium et Curionem affirmare illam orationem VII. Idus dictam fuisse. Caesari deinceps omnes assensos esse usque ad Catonem Appianus et Dio tradunt. Plutarchus ait Q. Lutatium Catulum primum contra dixisse. Inde M. Porcius Cato, tribunus pl. designatus, etiamtunc admodum adolescens, paene inter ultimos rogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consilii suspectam fecerit; sic impendentia ex ruinis incendiisque Urbis et commutatione status publici pericula explicavit, ita consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in eius sententiam transiret.[1] Haec Velleius lib. II. cap. 35. Tu lege Cice-

1) Maximi momenti ad totam hanc rem diiudicandam sunt, quae Cicero ipse scribit ad Atticum Lib. 12. Ep. 21, 1. (a. u. c. 709.) *Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse; quam omnes ante dixerant praeter Caesarem: et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Tor-*

ronem pro Sestio cap. 28. Facto igitur S. C. in Catonis sententiam, supplicium de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario in carcere sumptum est. Atque ita M. Cicero suis consiliis, suis laboribus, sui capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis, incensione Urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rem publicam liberavit; in orat. pro Sulla cap. 11. Ad vesperum, cum Cicero, ut Plutarchus cap. 22. scribit, per forum se domum suam reciperet, non iam silentio cives neque ordine illum deducebant; sed quocunque accesserat, omnes cum vocibus et plausu excipiebant et servatorem ac conditorem patriae appellabant, in foribus lampades et faces accensae vicos et angiportus clarissima luce collustrabant, pro tectis mulieres stabant, ut eum virum honorarent et spectarent, qui clarissimis viris comitatus tanto splendore per forum ascenderet. Atque haec facta sunt Nonis Decembr., quas Cicero semper in ore habebat; ut scribit Brutus ad Att.[1] Vide epist. 9. lib. I. ad Fam., epist. 16. lib. I. et epist. 1. lib. X. ad Att.[2] In consulatu M. Tullius legem quoque de legationibus liberis tulit, ne sicut antea infinitum, sed annuum tempus earum esset; lib. III. cap. 8. de Legibus. Quaestor Ciceronis consulis fuit T. Fadius; post red. in senatu cap. 8. Antonii quaestor fuit P. Sestius; pro Sestio cap. 3. Eodem anno Cicero consul L. Luculli currum triumphalem paene in Urbem introduxit; in Lucullo cap. 1.: itaque Murenae consulatum petenti exercitus totus Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat, praesto adfuit; pro Murena cap. 18. Eodem consule referente, primum decem dierum est supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto confectoque Mithridatico bello; in orat. de provinciis consular. cap. 11. Hactenus consulatum Ciceronis descripsimus. De quo M. Crassus ita dixit: *Se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, Ciceroni acceptum referre: quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium eius videre;* epist. 11. lib. I. ad Att. Maxime vero consulatum hunc Cn. Pompeius probavit: qui, ut Ciceronem primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, *eius beneficio patriam se vi-*

---

quati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'. Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod rettulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique, ante quam consulerem, ipse iudicaverim. Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in caelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam facta est discessio. In quibus vv. „*ante quam consulerem senatum*" nulla ratione conciliari posse cum Catilinaria quarta, quam nunc habemus, ad liquidum perduxit Ahrens in Ciceronis quae fertur Orat. IV. in Cat. p. 59.

1) Id est, Pseudobrutus ad Att. Ep. 17.

2) Breviter denuo complectemur tempora orationum Catilinariarum sive vere a Cicerone profectae sunt, sive suspectae, veluti tertia et quarta. Nocte, quae inter VIII. et VII. Idus Novembr. (6 et 7 Nov.) erat, coniurati convenerunt in Laecae domo: a. d. VI. Id. Nov. (8 Nov.) habita est oratio prima; postridie secunda; tertia III. Non. Decembr. (3 Dec.); quarta Nonis Decembr. (5 Dec.). Verum quot quantisque difficultatibus haec dierum ratio prematur, scite demonstravit Ahrens l. l. p. 152. seqq.

surum esse dixit; Philipp. II. cap. 5. Idem vir abundans bellicis laudibus Ciceroni, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret: *frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi eius in rem publicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus*; lib. I. de Officiis cap. 22. Ciceronem praeterea Q. Catulus princeps senatus et auctor publici consilii frequentissimo senatu parentem patriae nominavit; in Pisonem c. 3. Neque solum Catulus, verum etiam multi alii saepe in senatu Ciceronem patrem patriae nominarunt: ut ipse testatur pro Sestio cap. 57. In his Plutarchus cap. 23. numerat Catonem, de quo Appianus B. C. II., 7.: *Cum Cato Ciceronem patrem patriae appellasset, populus acclamavit; atque, ut quibusdam placet, haec appellatio primum Ciceroni tributa, inde ad imperatores pervenit.* Hinc Iuvenalis Satira VIII. v. 243.

— — — — *Roma parentem,*
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

et Plinius lib. VII. cap. 10. M. Tullium sic affatur: *Salve primus omnium parens patriae appellate.* De Cicerone L. Gellius vir clarissimus in concione dixit: si ille consul, cum fuit, non fuisset, rem publicam funditus interituram fuisse; post red. ad Quirites cap. 7. Idem civicam coronam Ciceroni deberi a re publica dixit; in Pisonem cap. 3. Vide Gellium lib. V. cap. 6. Cum extremis diebus anni huius novi tribuni pleb., qui a. d. IV. Id. Decembr. magistratum inibant (ut supra ad annum DCLXXXVI. demonstravimus), res eas, quas Cicero consul gesserat, vexare cuperent, ille P. Sestium Capua arcessivit cum eo exercitu, quem tum secum habebat; cuius adventu tribunorum conatus sunt retardati; Cicero pro Sestio cap. 4. Hos tribunos Plutarchus cap. 33. Metellum et Bestiam nominat: sed L. Calpurnius Bestia tribunatu iam V. Id. abierat; quod Manutius et Corradus ex Salustio monuerunt. Quintus autem Metellus Nepos, novus tribunus, pridie Kalend. Ianuarias Ciceronem consulem abeuntem magistratu concionis habendae potestate privavit: cuius iniuria Ciceroni tamen honori summo fuit; nam cum ille nihil ei, nisi ut iuraret, permitteret, magna voce iuravit verissimum pulcherrimumque ius iurandum, quod populus item magna voce ipsum vere iurasse iuravit; epist. 3. lib. V. ad Famil. Iuravit autem se patriam conservasse, ut Plutarchus cap. 33. et Dio XXXVII, 38. scribunt, et ipse Cicero in Pisonem cap. 3.: *Ego*, inquit, *cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram; cumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam; mihi populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, cum meum ius iurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur.* Huius frequentiae, qua abiens consulatu domum fuit reductus, mentio est in epist. 13. lib. I. ad Att.[1]

1) Adde nunc de Re publica 1, 4, 7. — *Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus.* Vellei. 2, 36.

Anno Urbis DCXCI. Ciceronis XLV. coss. fuerunt

D. IUNIUS SILANUS, L. LICINIUS MURENA.

Ab his consulibus lata fuit lex Iunia Licinia: qua, ut leges trinundino die promulgarentur, poena adiecta cavebatur; Cic. Philipp. V. cap. 3. *Ubi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi poena recenti lege Iunia et Licinia?* Eiusdem legis meminit in Vatinium cap. 14. et ad Atticum epist. 9. lib. II. et epist. 15. lib. IV. Initio huius anni Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio proconsule cum exercitu caesus est; Salustius Cat. cap. 57. seqq., Dio lib. XXXVII, 40., Livius lib. CIII. Vicit eum proelio M. Petreius legatus Antonii; de quo Cicero pro Sestio cap. 5. Victo Catilina Antonius laureatos fasces, ut Obsequens cap. 123. scribit, in Macedoniam provinciam tulit, cui per triennium deinde praefuit. Quia vero Antonius in fascibus insignia laureae praeferebat, imperator appellatus erat: qua de re scripsi in Ligarianam. Itaque Cic. epist. 5. lib. V. ad Famil., qua Antonio T. Pomponium Atticum in Graeciam proficiscentem hoc anno commendavit, *Imperatori* adscribit: quod Paulus Manutius sine causa miratur; nam et Dio lib. XXXVII, 40. aperte tradit Antonium ob victoriam de Catilina, quamquam caesorum numerus infra legitimum esset, Imperatorem appellatum fuisse. Metellus tribunus pleb. a. d. III. Non. Ianuar., ut est epist. 2. libr. V. ad Famil., cum agere coepisset, non in senatu, ut vir doctus annotavit, sed ad populum, ἐν τῷ ὁμίλῳ, ut Dio loquitur XXXVII, 42.: (fuisse autem diem comitialem vetus Kal. ostendit) tertio quoque verbo orationis suae Ciceronem appellabat, cum clamaret non licuisse ei Lentulum, Cethegum et reliquos cives indicta causa necare. Atque hoc crimen verbo Ciceroni, re senatui intendebatur, auctore Dione. Cicero Metello forti animo restitit, et orationem Metellinam contra concionem Metelli scripsit, cum ille prior scripsisset: epist. 10. libr. I. et epist. 12. libr. III. ad Att. Meminit Quintilian. libr. IX. cap. 3. §. 40., Gellius lib. XVIII. cap. 17., Priscianus lib. IX. et X. Tunc etiam Q. Metellus Celer, qui Galliam provinciam pro consule obtinebat, ad Ciceronem misit epist. 1. lib. V. ad Famil. querens Nepotem fratrem suum ab eo oppugnatum: cui Cicero epistola secunda respondet. Hoc anno ex indicio L. Vettii, equitis Rom., qui de Catilinae sociis in Urbe remanserant, partim praesentes, partim cum citati non respondissent, damnati sunt; ut Dio scribit XXXVII, 41. (Cfr. etiam Suet. Caes. 17.) In his fuerunt P. Autronius, Ser. Sulla, L. Vargunteius, M. Porcius Laeca, C. Cornelius: quos Cicero in orat. pro Sulla cap. 2. nominat. Damnati sunt lege Lutatia de vi publica; id quod indicant haec verba Ciceronis pro Caelio cap. 29.: *Quam legem Q. Catulus, armata dissensione civium rei publicae extremis paene temporibus tulit; quaeque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias coniurationis exstinxit.* Tum L. Torquatus, qui P. Cornelio Sullae consulatum ante triennium eripuerat, eiusdem nomen de duplici coniuratione detulit. De priore, quae L. Tullo, M. Lepido consulibus inita

fuit, Q. Hortensius; de posteriore Cicero, qui illam anno superiore oppresserat, defendit oratione illa, quae pro Sulla exstat: quam hoc tempore, condemnatis aliis coniuratis, habitam esse illa verba argumento sunt cap. 32.: *Severitatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate.* Huc accedit, quod homines docti tribunum illum, quem Cicero ad lugendos coniuratos ex illis relictum videri ait cap. 10., Metellum Nepotem esse non sine causa putant. Eodem tempore, cum Sulla reus esset, domum Cicero in Palatio emit; ut Gellius scribit lib. XII. cap. 12. Domus emptae a se meminit epist. 10. lib. I. ad Att., quam scripsit mense Ianuario anni sequentis. Quare non dubito, quin extremo huius anni mense, cum Q. Fufius Calenus tribunatum pleb. inivisset, Cicero scripserit epist. 6. lib. V. Famil. ad P. Sestium: qui, cum anno superiore C. Antonii consulis quaestor fuisset, hoc anno pro quaestore cum eodem in Macedonia erat. Vide Orat. pro Sestio cap. 5. Cn. Pompeius confecto iam bello Mithridatico litteras publice miserat: in quibus, quod gratulationem de rebus a se in urbe gestis praetermiserat, Cicero cum eo expostulat epist. 7. libr. V. ad Famil. P. Clodius Ap. F. adolescens audax et insolens, Pompeiae uxoris C. Caesaris amore captus, extremo hoc anno, cum Bonae Deae in domo Caesaris pro populo fieret, in opertum cum veste muliebri venit, sperans se, quod imberbis esset, clam ingressum ad Pompeiam perventurum. Sed dum in amplis et laxis aedibus oberrat, ab Aureliae, matris Caesaris, ancilla conspicitur; nomenque rogatus, cum se Auram (Ἄβραν) pedisequam Pompeiae quaerere dixisset, ex voce agnoscitur et a mulieribus in cubiculo ancillae, cum qua domum ingressus erat, deprehenditur atque foras eiicitur, ut Plutarchus in Cicerone et Caesare scribit. Cicero in Orat. de harusp. respons. cap. 24. ait, illum ancillarum beneficio emissum esse. Tu vide epist. 12. et sequentes libr. I. ad Atticum.

Anno Urbis DCXCII. Ciceronis XLVI. coss. fuerunt

M. PUPIUS PISO CALPURNIANUS, M. VALERIUS MESSALA NIGER.

P. Clodii facinore patefacto, a Virginibus et Pontificibus id nefas est decretum: Caesar deinde uxori nuntium remisit et Clodium tribunus pleb. accusavit; auctore Plutarcho in Caesare. Accusatorem Clodii Cicero de harusp. respons. cap. 17. (L.) Lentulum nominat. Clodium incesti crimine a tribus Lentulis accusatum fuisse Valerius libr. IV. cap. 2. tradit. De Clodii iudicio vide epist. 16. lib. I. ad Att.[1] In eo M. Tullius testis productus, cum Clodius crimen ita refelleret, ut diceret, se illa nocte non Romae, sed longe ab Urbe Interamnae apud

---

[1] Reus de incesto factus est P. Clodius accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre. Scholiasta Maii ad orat. in P. Clodium et Curionem: cuius fragmenta una cum Maii et Beieri annotatt. nunc consulenda sunt. De toto iudicio Clodiano cfr. etiam Tunstalli Epistolam p. 28. seqq.

Cassinium Scholam fuisse: Cicero contra pro testimonio dixit, illum ad se domum venisse et de quibusdam rebus egisse, id quod verum erat. Plutarchus, Cicero pro domo et pro Milone, ibidemque Asconius, Quintilianus lib. IV. cap. 2., Valerius libr. VIII. cap. 5. Absoluto Clodio Cicero cum eo Idibus Maiis in senatu contendit; epist. 16. lib. I. ad Attic. Hoc anno Q. Tullius Cicero M. frater praetor fuit: cumque praetores provincias sortirentur, Q. Ciceroni Asia obtigit; ep. 12. lib. I. ad Attic. Obtinuit eam provinciam per triennium, cum L. Valerio Flacco successit, ut ex orat. pro Flacco cap. 14. intelligitur. Eodem anno censores creatos fuisse et lustrum condidisse ex libr. I. ad Att. et Dionis lib. XXXVII., 46. satis notum est. Hi Onuphrio sunt P. Servilius Isauricus et Mam. Aemilius Lepidus. Ante hos censores Ciceronem pro Archia dixisse haec verba orationis cap. 5., quae ex tanto numero interpretum nemo adhuc exposuit, arguunt: *Est enim obscurum, proximis censoribus hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse, superioribus cum eodem quaestore fuisse in Asia, primis, Iulio et Crasso, nullam populi partem esse censam?*[1] L. Iulium Caesarem et P. Licinium Crassum censores fuisse primos post datam civitatem Archiae anno DCLIV. diximus. Tertio anno post L. Marcius Philippus et M. Perperna censores lustrum LXVI. fecerunt, quo tempore Archias in Asia fuit cum Lucullo quaestore, qui per multos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit; Cicero in Lucullo cap. 1. Censura deinde intermissa fuit usque ad annum Urbis DCLXXXIII., quo L. Gellius, Cn. Lentulus lustrum LXVII. fecerunt, cum Lucullus in Asia bellum contra Mithridatem administraret. Atque hi censores proximi ante Ciceronis consulatum censum egerunt. Nam qui Cotta et Torquato coss. creati fuerunt, propter dissensionem abdicarunt: illi autem, qui anno insequenti iis successerunt, intercedentibus tribunis pleb. nihil agere potuerunt. Auctor Dio lib. XXXVII., 9. Itaque M. Tullius post consulatum ante censores, qui hoc anno creati fuerunt, A. Licinium Archiam, cui Gracchus quidam civitatis controversiam moverat, defendit illa oratione, quae exstat: in qua primo eum civem esse probat; deinde reliqua oratione ornat, ut civitate Romana dignum esse demonstret. Corradus ex epist. 13. lib. I. ad Attic. putat, Ciceronem pro Archia dixisse Metello et Afranio coss.; sed qui, quod inchoavit, nondum perfecit, nihil scripsisse videri potest. Hoc anno Pompeius tertium triumphum de Mithridate, Tigrane plurimisque regibus ac gentibus per biduum III. et prid. Kal. Octobr., ut est in Fastis Capitol., egit. Trium triumphorum Pompeii mentio est lib. II. cap. 9. de Divinat. De iisdem Cicero pro Balbo cap. 6. *Cuius tres triumphi testes essent totum orbem terrarum nostro imperio teneri.* Eodem anno C. Caesar, cum esset in Hispania praetor, populum Gaditanum summis ornamentis affecit, controversias sedavit, iura ipsorum permissu statuit et inveteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delevit; ut Cicero in eadem oratione cap. 19. testatur. Tum quoque C. Pomptinius, qui anno superiore in Galliam ulteriorem ex praetura missus erat, Allo-

1) Cfr. Garatonium ad argumentum Archianae. Acta est causa apud Q. Ciceronem praetorem, ut nunc scimus e Scholiis Bobiensibus.

brogas domuit, ut copiose Dio lib. XXXVII., 47. narrat. Meminit Cicero in orat. de provinciis coss. cap. 13. et Livius lib. CIII. Nonis Decembr. Cicero ad Atticum scripsit epist. 17. lib. I. [1]

Anno Urbis DCXCIII. Ciceronis XLVII. coss. fuerunt

L. AFRANIUS, Q. CAECILIUS METELLUS CELER.

De his consulibus Cicero libro I. ad Att. ep. 18. Primis huius anni mensibus Tullius in urbe fuit, ep. 18. et 19. lib. I. ad Att. effecitque, ne Q. fratri in Asia succederetur; epist. 1. libr. I. ad fratr. L. Flavius tribunus pl. legem agrariam auctore Pompeio promulgavit de agris dividendis militibus Pompeii et plebi: de qua Cicero lib. I. ad Att. epp. 18. et 19. et Dio lib. XXXVII. 50., qui scribit Metellum consulem tum a Flavio in carcerem ductum fuisse. Unde Cicero epist. 1. libr. II. ad Atticum: *nunc consule in carcere incluso.* P. Clodius, ut idem Dio c. 51. scribit, tribunatus cupidus, primum tribunos quosdam submisit, qui legem ferrent, ut patriciis quoque eius magistratus capiundi potestas esset. Quod ubi non persuasit, patriciatum eiuravit atque in concionem progressus ad plebem transiit. In hanc sententiam Dio. Cicero vero epist. 18. libri primi ad Atticum ita scribit: *C. Herennius tribunus pleb. ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat.* Addit Dio: *Clodius tribunatum statim petiit, sed creatus non est, Metello ei resistente; qui et propinquus Clodii erat et ea, quae ille agebat, non probabat, praetendebat vero adoptionem more maiorum non esse factam, quia plebeius nisi lege curiata fieri nemo posset.* Apud Dionem ἐν τῇ εἰσφορᾷ τοῦ στρατιωτικοῦ νόμου mendose est pro τοῦ φρατριατικοῦ, quod ex lib. XXXIX. cognoscitur, ubi τὴν εἰσφορὰν τοῦ φρατριατικοῦ de Clodii adoptione agens dicit.[2] Clodio igitur tum frater Metellus et concors senatus principi Cn. Pompeio sententiam dicenti acerrime una voce ac mente restitit: Cicero de harusp. resp. cap. 21. Metellus etiam consul incipientem furere Clodium atque conantem sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixit; pro Caelio cap. 24. Idibus Martiis huius anni Cicero Commentarium consulatus sui Graece compositum ad Atticum misit; epist. 19. lib. I. Misit eundem Rhodum ad Posidonium, ut ornatius de iisdem rebus scriberet. Ille vero rescripsit se, illud ὑπόμνημα cum legeret, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum, epist. 1. lib. II. ad Att. Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας Plutarchus in Caesare adducit. Scripsit etiam Cicero de consulatu suo versibus tres libros. *Tertium poëma exspectato,* inquit ep. 19. lib. I. ad Att. et epist. 3. lib. II.: *Sed me κατακλεὶς mea illa commovet, quae est in libro tertio.* Libro etiam primo de Divin. cap. 11. Q. frater plures versus ab Urania Musa in

---

1) Maxime notabilia sunt, quae ibi dicit de concordia equitum cum senatu a se restituta.

2) Emendatus nunc est error e Cod. Med. a.

secundo de consulatu pronuntiatos commemorat, quorum tres ex libris consulatus Ciceronis Lactantius adducit lib. III. cap. 17. De Prognosticis, quae Atticum propediem exspectare iubet epist. 1. lib. II., quid dicam, non habeo.[1] Certe quae lib. I. cap. 11. de Divin. ex Ciceronis prognosticis adducuntur, Aratea sunt atque in *Διοσημείοις* Graece exstant. Priscianus quoque lib. X. XVI. et XVIII. Ciceronem *in Prognosticis* citat. Verum, quos adducit versus, ex Arato expressi sunt. Post Idus Martias huius anni Cicero aliquamdiu ruri fuit. Romam autem e Pompeiano se recepit a. d. IV. Id. Maias, epist. 20. lib. I. ad Att. Kal. Iun. Antium profectus fuit, ep. 1. lib. II. ad Att. Hoc anno Q. Metellus Nepos praetor portoria Italiae lege lata sustulit, auctore Dione XXXVII. 51. De portoriis Italiae sublatis, Cicero epist. 16. lib. II. ad Att. Sub idem tempus, ut Dio scribit, Faustus Sullae F. in honorem patris munus gladiatorium et magnificum epulum populo dedit: balneas etiam cum oleo gratuito praebuit. Hoc munus Faustum testamento patris debuisse Cicero pro Sulla cap. 19. ait. Hoc est Fausti adolescentis nobilissimi epulum magnificentissimum, ex quo Vatinium famem suam explesse Cicero in interrogatione cap. 13. ait. Hoc anno conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum et C. Caesarem, de qua Cicero libro secundo ad Atticum.[2]

Anno Urbis DCXCIV. Ciceronis XLVIII. coss. fuerunt

C. IULIUS CAESAR, M. CALPURNIUS BIBULUS.

Cum C. Antonio C. Octavius in Macedonia anno superiore successisset, ut cognoscitur epist. 1. lib. II. ad Att., Antonius hoc anno lege Lutatia de vi accusatus est a M. Caelio; ut est in Orat. pro Caelio cap. 29. et 31. Antonium apud Cn. Lentulum Claudianum (sic lego ex libris olim impressis[3]) reum factum esse a Q. Fabio Maximo Cicero in Vatinium cap. 11. demonstrat. Sed, an de eodem crimine Caelius et Maximus accusarint, mihi non constat. Hoc Dio lib. XXXVIII, 10. scribit, Antonium de Catilinae coniuratione in iudicium adductum propter male administratam provinciam condemnatum fuisse. Cicero vero pro Caelio cap. 31. ait Antonio nocuisse opinionem maleficii cogitati. Antonius condemnatus in Cephallenia exsulavit, auctore Strabone lib. X., nec a M. Antonio fratris filio cum aliis exsulibus restitutus fuit[4]; Philipp. II. cap. 23. De sua defensione Cicero

---

1) Nihil aliud videtur nisi exemplum Arateorum, quae adolescens in Latinum converterat. Ea, cum Atticus tunc forte non haberet, postulasse videtur a Cicerone, ut sibi denuo describenda curaret.

2) Intelligere videtur ad Attic. 2, 3. *Fuit apud me Cornelius; hunc dico Balbum, Caesaris familiarem. Is affirmabat illum omnibus in rebus meo et Pompeii consilio usurum daturumque operam, ut cum Pompeio Crassum coniungeret.* Cfr. Cassium Dionem 37, 54. Appianum B. C. 2, 9., cui triumviri dicuntur ibid. 14. Velleium 2, 44.

3) In mea Ed. est *Cn. Lentulum Clodianum.*

4) Cfr. pro Flacco 38. *Oppressus est C. Antonius. Esto; habuit quandam ille infamiam suam; neque tamen ille ipse, pro meo iure dico, vobis iudicibus da-*

pro domo cap. 16. ita inquit: *Hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quaedam de re publica, quae mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere: haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus.* Hinc Suetonius in Iulio cap. 20.: *Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium, inimicum eius, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem eodem die horaque nona traduxit.* Transiit Clodius ad plebem adoptione, quae arrogatio dicitur. Adoptatus fuit a P. Fonteio: contra quam adoptionem Cicero pro domo sua disputat. De eadem Suetonius in Tiberio cap. 2.: *P. Clodius ob expellendum Urbe Ciceronem plebeio homini atque etiam natu minori in adoptionem se dedit.* In hac adoptione Caesar legem curiatam tulit, Pompeius in auspicio fuit; epist. 7. et 12. lib. II. ad Att., de harusp. resp. cap. 23. Tullius mense Aprili et Maio extra Urbem Antii, in Pompeiano, Formiano et Arpinati in litteris vixit: ibique epistolam quartam et sequentes usque ad 18. lib. II. ad Atticum misit. Attico deinde in Epirum profecto Cicero se Romam recepit et ea, quae in sequentibus epistolis leguntur, ad Atticum scripsit. Consiliis publicis nullis, ut est epist. 23., intererat totumque se ad forensem operam laboremque contulerat.[1] Tum A. Thermus bis Cicerone defendente absolutus est; pro Flacco cap. 39. Tum quoque L. Valerius Flaccus, qui ex praetura, quam Cicerone consule gesserat, Asiam provinciam[2] obtinuerat, a D. Laelio repetundarum accusatus, a Q. Hortensio et M. Cicerone defensus est. Ciceronis oratio exstat: de Hortensii defensione vide epist. 25. lib. II. ad Att. Hoc anno P. Vatinius, qui in Dionis libris (Lib. XXXVIII. 6.) Πούπλιος Ἀτίνιος non sine mendo nominatur, tribunus pl. Caesari consuli in omni re obsecutus est eaque gessit, quae a Cicerone in interrogatione in Vatinium reprehenduntur. Lege Vatinia Caesari data in quinquennium fuit Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus; quibus senatus Galliam ulteriorem cum alia legione adiecit; Dio lib. XXXVIII. Plutarchus, Suetonius in Iul. cap. 22. et Orosius lib. VI. cap. 7. In hoc imperio Caesar Ciceronem sibi legatum esse volebat; lib. II. ad Atticum epist. 19. et epist. 18. *A Caesare*, inquit, *valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus;* et de provinciis coss. cap. 17. *Me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit.*[3] Consul Caesar leges multas tulit, quae ab ipso Iuliae sunt

natus esset; cuius damnatione sepulchrum L. Catilinae floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est, iusta Catilinae facta sunt.

1) *Ego M. Bibulo, praestantissimo civi, consule nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione avocarem. In quo Caesar felicior fuit; ipse enim Pompeium a mea familiaritate diiunxit.* Philipp. 2, 10, 23.

2) Et quidem per annum unum dumtaxat. Cfr. Garatonium ad arg. orat. pro Flacco contra Ferratium hac de re disputantem.

3) De legatione ista et XXviratu accurate disputavit Tunstall Epist. p. 45. „Eam Cicero a Caesare vel, cum petisset, impetravit (quod multo est veri similius), vel certe ultro oblatam accepit."

appellatae; de quibus Dio lib. XXXVIII. et Cicero de harusp. resp. cap. 23.: *Tum leges Iulias contra auspicia latas et hic et in concionibus dicere.* Tulit praeterea, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur: Suetonius in Iul. cap. 20. et Velleius lib. II. cap. 44. Curatores etiam, qui agros dividerent, constituit Vigintiviros ex iis, qui plurimos honores gessissent atque ad eam rem quam maxime idonei essent, auctore Dione initio libri XXXVIII. Suetonius quoque in Augusto cap. 4. XXviros agrum Campanum plebi Iulia lege divisisse ait. In his fuit Cosconius, quo mortuo Cicero in eius locum invitatus fuit; epist. 19. lib. II. ad Att. In iisdem fuit Cn. Tremellius Scrofa, quo de Varro lib. I. de re rust. cap. 2. Nominat eosdem Frontinus et Plinius lib. VII. cap. 52. Sed Cicero XXviratum repudiavit, quod Quintilianus lib. XII. cap. 1. scribit: et ipse epist. 2. lib. IX. ad Atticum de Caesare inquit: *Repudiari se totum magis etiam quam olim in XXviratu putabit: ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam; ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem.* Paterculus quoque in commemoratione exsilii Ciceronis addit lib. II. cap. 45.: *Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter XXviros dividendo agro Campano esse noluisset.* Hic scrupulum iniicit oratio de provinciis coss., in qua cap. 17. Cicero ait, se a Caesare fuisse rogatum, ut quinqueviratum acciperet, eumque se obstinatione quadam sententiae repudiasse. Praeterea quinqueviri nominantur epist. 7. lib. II. ad Att. Sunt viri doctissimi, in rebus Romanis cognoscendis diu multumque versati, qui scribunt, Caesarem ad aestimationem agri Campani XXviros creasse ac praeterea quinque, qui aestimatum dividerent. Dant illi quidem testem in hanc rem Dionem: sed verba, quibus hoc demonstretur, in Graeca eius historia invenire equidem adhuc nulla potui. Comitiis tribuniciis P. Clodius Pulcher tribunus pl. factus fuit opera Caesaris; ut scribit Dio XXXVIII, 12. et Plutarchus in Caesare. Etsi autem Pompeius Clodium omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem esse facturum, ut est pro Sestio cap. 7., ille tamen in fide non mansit, sed tribunus pl. factus continuo se in Ciceronem convertit. Qua de re dicemus, si prius illud admonuerimus, hunc tertium fuisse annum imperii Q. Ciceronis in Asia; quo ad duos priores adiuncto M. Cicero epistolam illam pulcherrimam, quae est prima lib. I. ad Fratrem, misit, in qua omnia praecepta bene administrandae provinciae ita persequitur, ut amplius nihil requiri possit. Eiusdem anni ultimis mensibus scripsit epistolam secundam ad Fratrem, ut ex ipsa cognoscitur.

Anno Urbis DCXCV. Ciceronis XLIX. coss. fuerunt

L. CALPURNIUS PISO CAESONINUS, A. GABINIUS.

Praetores huius anni a Suetonio in Iulio cap. 23. nominantur duo, C. Memmius et L. Domitius. C. Memmium praetorem ex lege Licinia et Iunia edixisse, ut Vatinius adesset die tricesimo, Cicero in Va-

tinium cap. 14. ait. Piso et Gabinius sunt duo funesti, non consules, sed latrones atque eversores rei publicae, quos suis coloribus Cicero multis locis depinxit: ut in orat. post reditum cap. 4., pro domo cap. 9., pro Sestio cap. 7. seqq., de provinciis coss. cap. 3. seqq., in Pisonem cap. 4. seqq. et alibi. His consulibus sedentibus, inspectantibus atque adeo adiuvantibus, M. Tullius, conservator patriae, a sceleratissimo tribuno pleb. in exsilium eiectus est. Clodius enim, ut Dio lib. XXXVIII, 13. scribit, sperans facile se Ciceronem oppressurum, si prius senatum, equites et plebem sibi conciliasset, quattuor leges, populares illas quidem, sed rei publicae perniciosas, initio huius anni, quod Cicero in Pisonem cap. 4. seq. significat, tulit[1]: unam ut frumentum populo gratis daretur; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret; tertiam de collegiis restituendis novisque instituendis; quartam, ne quem censores in senatu legendo praeterirent neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset. Haec Asconius in Pisonianam, Dio libr. XXXVIII. et Cicero passim. Alias deinde rogationes idem Clodius uno eodemque tempore promulgavit; unam de provinciis consulum nominatim, alteram de Ciceronis pernicie, ut ait pro Sestio cap. 10. Pactus enim cum consulibus Gabinio Syriam, Babylonem, Persas, Pisoni Achaiam, Thessaliam, Graeciam, Macedoniam omnemque Boeotiam dedit; Cicero de provinciis coss. et in aliis orationibus. Ad Ciceronis perniciem lex illa pertinebat, qua tulit: *Qui civem Rom. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur: cuius verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur*, inquit Paterculus lib. II. cap. 45. Idemque scribit Dio lib. XXXVIII, 14. atque idcirco Tullius hoc *privilegium* appellat. Vide orat. pro domo cap. 14. Reus igitur Cicero, ut Plutarchus c. 30. scribit, vestem mutavit et sordidatus populo supplicavit. Tum Clodius illi omnibus vicis occurrebat, stipatus hominibus contumeliosis et temerariis: qui petulanter mutationem vestis et habitum Ciceronis exagitantes multisque locis luto et lapidibus in eum coniectis supplicationes impediebant. Cum Cicerone tamen primum omnis fere ordo equester vestem mutavit: eumque nobilissimi adolescentes, numero ad XX. milia, sordidati, deprecatores eius salutis comitabantur. Deinde cum senatus frequens convenisset et vestem tamquam in publico luctu mutandam censeret, idque consules vetarent et Clodius cum armis ad curiam versaretur, senatores non pauci e senatu vestibus discissis et clamore sublato se proripuerunt. Hactenus Plutarchus. Dio lib. XXXVIII, 16. tradit, equites in Capitolium tunc convenisse atque ad consules et senatum misisse legatos non solum e suo ordine, verum etiam senatores duos, Q. Hortensium et C. Curionem, qui pro Cicerone deprecarentur. Unde Cicero pro Sestio cap. 11. ait: *Cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota Urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes meque omni ratione defendendum putarunt.* Erat tum senatus in aede Concordiae et Gabinium consulem, Pisone absente, orabat. Equites quoque Rom. et

---

1) Cfr. Tunstalli Ep. ad Middletonum p. 66.

omnes boni veste mutata se pro Ciceronis capite ad pedes Gabinii proiecerunt: quorum precibus ab illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Mummius ad senatum de re publica rettulit; senatusque frequens vestem pro Ciceronis salute mutandam censuit; pro Sestio cap. 11. Dio XXXVIII, 14. hunc Mummium vocat L. Ninnium Quadratum, et scribit eum populo auctorem fuisse, ut tamquam in aliqua publica calamitate vestem pro salute Ciceronis mutaret.[1] *Pro me*, inquit Cicero post reditum ad Quir. cap. 3., *senatus hominumque praeterea viginti milia vestem mutaverunt.* Sed consules edixerunt, ut ad suum vestitum senatores redirent. Vide orationes post reditum ad Quir. cap. 5., in senatu cap. 7., pro domo cap. 21., pro Sestio cap. 14. et in Pisonem cap. 8. Tum Gabinius L. Aelium Lamiam equestris ordinis principem relegavit: quod Dio lib. XXXVIII. dicit ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε, meminit Cicero post redit. in senatu cap. 5., pro Sestio cap. 12., in Pisonem cap. 27. et epist. 16. lib. XI. ad Famil. Itaque Cicero non solum a consulibus, verum etiam a Cn. Pompeio proditus et derelictus maluit urbe cedere, quam bonorum vitam servis armatis obiicere[2]: quod ipse in orationibus non semel testatur. Habebat domi suae Minervae signum idque longo tempore religiosissime coluerat. Cum autem ex Urbe discessurus esset, hoc signum in Capitolium delatum ibi dedicavit et subscripsit, MINERVAE CUSTODI VRBIS: Plutarchus c. 31. et Dio XXXVIII., 17. Haec est illa Minerva custos Urbis, de qua Cicero epist. 25. lib. XII. ad Famil. et lib. II. de Legibus cap. 17. Dio libr. XLV, 17. Ἀθηνᾶν φυλακίδα nominat. Discedentem M. Tullium omnes boni flentes prosecuti sunt, ut ipse pro domo cap. 22. ait. Cessisse Urbe Ciceronem puto mense Martio extremo. Nam, ut ex Plutarchi Caesare, et primo Commentario de bello Gallico cap. 6. seq. intelligitur, cum Helvetios a. d. V. Kal. Apr. de finibus suis exire constituisse Caesar cognovisset, maturavit ab Urbe proficisci atque octavo die ad Rhodanum pervenit; neque tamen prius Caesar ad exercitum abiit, quam Ciceronem per Clodium Italia expulisset, auctore Plutarcho. Ubi compertum fuit Ciceronem discessisse, Clodius de exsilio eius ad populum tulit atque edictum proposuit, ut illi aqua et igni interdiceretur et ne intra quingenta milia passuum ab Italia tecto reciperetur. Haec Plutarchus in Cicerone 32.; quibus gemina scribit Dio lib. XXXVIII, 17. In eo tamen dissentit, quod Ciceroni lege Clodia irrogatum fuisse ait, ne intra stadium tria milia septingenta quinquaginta, id est milia passuum CCCLXIX. fere ab Urbe illi esse liceret. Cicero epist. 4. lib. III. ad Att. in lege hoc correctum fuisse ait, ut sibi ultra quadringenta milia liceret esse. Dio hoc quoque legi adiectum fuisse tradit, ut, si Tullius intra spatium definitum visus fuisset, et ipse et qui eum recepissent impune interficerentur. Hinc Cicero pro domo cap. 20. *Poena est, qui receperit: quam omnes neglexerunt.* Poenam neglectam fuisse, omnibus reve-

1) *L. Ninnius* editur nunc etiam apud Ciceronem.

2) „Tria antequam Urbe cederet, tria in amicorum deliberationem venerant, consereretne manum iure ferrove cum Clodio, an fuga sibi consuleret, an sese interficeret. Ad Q. Fr. 1, 3. ad Attic. 3. 9. cet." Tunstall Ep. p. 73.

rentibus M. Tullium comiterque excipientibus et prosequentibus, Plutarchus quoque scribit. Clodius praeterea villas Ciceronis eiecti inflammavit et domum in Palatio incendit atque in area templum Libertatis exstruxit: Plutarchus, Dio et Cicero pro domo cap. 42. seqq. Bona diripiebantur atque ad consules deferebantur: columnae marmoreae ex aedibus ad socrum Pisonis portabantur: in fundum autem Gabinii vicini consulis non modo instrumentum aut ornamenta villae Tusculanae, sed etiam arbores transferebantur. Haec Cicero pro domo cap. 24., post reditum in senatu cap. 7., pro Sestio cap. 24. et in Pisonem cap. 11. Templum Libertatis, *νεὼν Ἐλευθερίας*, Cicero libr. II. cap. 17. de legibus templum Licentiae vocat. Pulsum M. Tullium pedibus iter per Lucaniam Siciliam versus fecisse Plutarchus scribit. Naricae Locridis[1] fuit VI. Idus Aprilis, ibique scripsit epistolam secundam lib. III. ad Att. Inde Cicero Vibonem venit[2], quod est oppidum Lucaniae ad fretum et a Locris conditum prius Hipponium appellatum fuit, Strabo lib. VI., Caesar III. de bello civili cap. 101. Ibi, ut Plutarchus c. 32. scribit, Vibius homo Siculus[3], qui cum alia multa commoda ex Ciceronis amicitia perceperat, tum eo consule praefectus fabrum fuerat, illum in aedes quidem non recepit, sed fundum se ipsi adsignaturum denuntiavit. Sic illa Plutarchi verba, *χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο*, ego iam pridem converteram: cum praesertim alibi quoque verbum *καταγράφειν* pro attribuere et assignare usurpatum notassem, ut *περὶ φιλαδελφίας· ἕτεροι δὲ, παλλακίσι καὶ πόρναις οἰκίας καὶ ἀγροὺς καταγράφοντες, ὑπὲρ οἰκοπέδου καὶ γωνίας πρὸς ἀδελφοὺς διαμονομαχοῦσι.* Merito igitur Xylander noster a Bocchii et Corradi falsis interpretationibus discessit. Cicero se ad Vibonem in fundo Sicae fuisse, ad Atticum scribit epist. 2. et 4. lib. III. Siciliam, quam Cicero petebat, eo tempore obtinebat C. Virgilius (*Γάϊος Οὐεργῖνος* est apud Plutarchum[4]). Praetor is Ciceroni scripsit, ne in Siciliam veniret. Quare consilio repente mutato iterum a Vibone Brundisium terra petere contendit; ut ipse pro Plancio cap. 40. narrat. In eo itinere III. Idus April. Thurii scripsit epist. 5. libr. III. ad Att. et XIV. Kal. Maias Tarenti sequentem: eodemque die se Brundisium venisse, epistola 7. eiusdem libri scribit. Urbem ipsam ingressus non est: sed in hortos M. Laenii Flacci se contulit; pro Plancio cap. 41. Meminit etiam in Sestiana cap. 63. Apud M. Laenium dies XIII. fuit; epist. 4. lib. XIV. ad Famil.[5] Pridie Kal. Maias, cum Brundisio proficiscens Dyrrhachium vento secundo transmitteret atque adversus ex alto reflasset, reiectus

---

1) Incerta est lectio: Tunstall Epist. p. 89. *in Naris Luco.* Alii: *in oris Lucaniae.* Fabricius lect. Asc. sec. et Crat. secutus est.

2) Cfr. Tunstalli Ep. ibid. „Ad Vibonem nunquam pervenit. *A Vibone*, inquit ad Attic. 2, 4., *subito discessimus*, i. e. a consilio Vibonem proficiscendi — *illo cum pervenire non liceret* cet. — Ceterum adde de Divin. I, 28, 59. memorabile illud Ciceronis somnium, quo audito Salustius libertus exclamavit, *reditum ei celerem et gloriosum paratum.*

3) Eundem cum Ciceronis Sica fuisse censet Tunstallus.

4) *Γάϊος Οὐεργίλιος* rectius nunc editum est apud Schaeferum c. 32.

5) De omni huius fugae ratione confer Garatonii Excursus ad Plancianam p. 306. seqq. Ed. meae.

est: deinde iterum in altum profectus Dyrrhachium pervenit. Ubi, cum e navi in terram egressurus esset, terrae motum et maris convulsionem exstitisse ferunt; unde haruspices coniiciebant, illius exsilium non fore diuturnum, quod haec mutationis signa essent. Haec Plutarchus c. 32. Dyrrhachio aliquot dierum viam in Macedoniam ad Planciumque perrexit et cum eo Thessalonicam X. Kalend. Iunias venit; pro Plancio cap. 41. et epist. 8. lib. III. ad Att. Thessalonicae Cn. Plancius sua liberalitate Ciceronem per menses septem retinuit. Quo tempore plures epistolas ad Atticum scripsit, quae lib. III. ab octava usque ad 22. leguntur. Interim Q. Cicero, cum iam Asiam per triennium obtinuisset, de provincia ante Kal. Maias decessit; epist. 9. lib. III. ad Att. Fratrem aliquanto post suum discessum ex provincia venisse ait pro domo cap. 23.; meminit quoque in Sestiana cap. 34. Itaque M. Cicero Idibus Iuniis ad eum misit epist. 3. lib. I. et deinceps sequentem. Tertio Non. Octobr. Thessalonica ad Terentiam uxorem misit epist. 2. lib. XIV. ad Famil. Redeamus nunc ad acta urbana. Cicerone expulso Clodius legem promulgavit de Ptolemaeo rege Cypri, ut bona eius publicarentur et regnum in provinciae formam redigeretur; idque negotium M. Catoni mandatum est: quo de Cicero saepe, Plutarchus in Catone, Appianus lib. II. c. 23. Dio lib. XXXVIII, c. 30. Kal. Iuniis, ut est in orat. pro Sestio cap. 27. seq., decrevit senatus frequens de Ciceronis reditu, dissentiente nullo, referente L. Mummio [1] tribuno pleb. Intercessit Aelius Ligus. Pompeius quoque illo tempore se accusans, ut Plutarchus c. 33. scribit, quod Ciceronem prodidisset, de illius reditu amicorum opera adiutus agere coepit. Resistente Clodio placuit senatui nihil in re publica decernere, nulla de re agere, nisi Cicero ab exsilio revocaretur. Hinc Cicero pro Sestio cap. 31.: *Omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules rettulissent;* et in Pisonem cap. 13.: *An tum eratis consules, cum quacunque de re verbum facere coeperatis aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat ostendebatque nihil esse vos acturos, nisi prius de me rettulissetis?* De eadem re vide epist. 24. lib. III. ad Att. Initur deinde consilium de interitu Cn. Pompeii, ait Cicero pro Sestio cap. 32.; quam rem Asconius in Milonianam cap. 14. sic exponit: *Cum III. Idus Sext. Pompeius in senatum venisset, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata; dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit, et ex eo se domi tenuit;* et Cicero pro Milone c. 7.: *Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad C. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus; caruit foro Pompeius postea, caruit senatu, caruit publico.* Huc pertinet illud Paradox. IV.: *Ante senatum tua sica deprehensa est;* et in Pisonem cap. 12.: *Deprehensus cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat.* Meminit etiam pro domo c. 25. Quarto Kal. Novembres octo tribuni pleb. de Ciceronis reditu legem promul-

1) Leg. *L. Ninnio.*

garunt: iisdemque referentibus P. Lentulus cos. designatus praestantissimam de Cicerone sententiam dixit; pro Sestio cap. 32., post red. in senatu cap. 4. et epist. 23. lib. III. ad Att. Thessalonica Cicero se Dyrrhachium recepit: ibique VI. Kal. Decembres scripsit ad Terentiam epist. 1. lib. XIV. ad Famil. et partem epistolae 23. lib. III. ad Attic. Pridie Kal. Decembr. inde misit ad Terentiam epist. 3. lib. XIV. et ad Atticum epist. 22. libr. III. et deinceps quattuor reliquas eiusdem libri. Exierunt deinde paludati in provincias consules, Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam; Cicero pro Sestio cap. 33. IV. Idus Decembr. novi tribuni pleb. T. Annius Milo, P. Sestius, C. Sestilius, M. Cispius, T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabricius, Sex. Atilius Serranus et Q. Numerius Rufus[1] magistratum inierunt; pro Sestio cap. 33. et post reditum in senatu cap. 8.

Anno Urbis DCXCVI. Ciceronis L. coss. fuerunt

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER, Q. CAECILIUS METELLUS NEPOS.

Praetores eodem anno fuerunt L. Caecilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Crassus, Sex. Quintilius, C. Cornutus et App. Claudius Pulcher; Cicero post reditum in senatu cap. 9. Kalendis Ianuariis P. Lentulus, simulac de sollemni religione rettulerat, nihil humanarum rerum sibi prius quam de Cicerone agendum iudicavit. Cum princeps rogatus sententiam L. Cotta dixit, nihil de Cicerone actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus, proptereaque lege illi opus non esse, verum Pompeius censuit, ut ad senatus auctoritatem populi beneficium adiungeretur. Atque eo die confecta res esset, nisi Sex. Atilius tribunus pleb., non ausus intercedere, noctem sibi ad deliberandum postulasset. Haec Cicero post redit. ad Quirites cap. 5., pro domo cap. 26., pro Sestio cap. 34., lib. III. de legibus cap. 19. Postea res acta est in senatu alia nulla; et cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta senatus causa ad populum VIII. Kal. Febr. fuit delata: quo die Clodiani, caede in foro maxima facta, flumine sanguinis reditum Ciceronis intercludendum putaverunt; post reditum ad Quirites cap. 5. et pro Sestio cap. 35. Clodius enim, ut Dio lib. XXXIX, c. 7. scribit, illo die, cum lex ad populum ferretur, acceptis a fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui sui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos volneravit multosque occidit. Tum in foro tribuni pleb. volnerati fuerunt, et Q. Cicero inter cadavera tamquam occisus iacuit; Plutarchus c. 33. et Cicero pro Sestio cap. 35. Crudelissimae caedis eo tempore in foro factae mentio est etiam in Miloniana cap. 14. Clodium Milo tum de vi postulavit: sed in iudicium non adduxisse Dio scribit, quod nondum creati essent quaestores, per quos iudicum sortitionem fieri oporteret, Nepos que praetori edixisset, ne quod iudicium ante, quam iudices sorte deligerentur, fieri pateretur. Quaesto-

---

1) Q. *Numerius Rufus*] Sic scripsi e Schol. Vatic. ad Sestianam cap. 33. p. 145. Ed. Rom. Fabricio erat *Numerius Quintius*.

res autem nisi habitis prius comitiis aedilitiis, quibus hae de causa mora potissimum afferebatur, creari non poterant. In hanc sententiam Dio: Cicero vero in Sestiana cap. 41. ait, consulem, praetorem, tribunum pleb. nova novi generis edicta proposuisse, ne reus adesset, ne citaretur, ne quaereretur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceret. Quo pertinet illud de harusp. respons. cap. 24.: *Restiterunt etiam, ne causam diceret.* Quare, cum Milo videret iudicia esse sublata, ne Clodius omnia vi posset efficere, curavit, inquit idem post redit. in senatu cap. 8. Emit enim gladiatores, ut Dio scribit, de quibus Cicero lib. II. cap. 17. de Officiis: *Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis rei publicae causa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit.* Senatus autem multo ante, quam lex de Ciceronis reditu fuit lata, gratias agendas censuit civitatibus iis, quae M. Tullium civem optime de re publica meritum recepissent; pro domo cap. 32., in Pisonem cap. 15., Parad. IV. et Plutarchus c. 33. Idem decrevit, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quaestores legatique essent, salutem et vitam Ciceronis custodirent; pro Sestio cap. 60. Idem ad M. Tullii salutem auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rem publicam salvam esse vellent, imploravit; in Pisonem cap. 15. Factum enim S. C. fuit, ut litteris consularibus cuncta ex Italia omnes, qui rem publicam salvam vellent, convocarentur; pro Sestio cap. 60., post redit. in senatu cap. 9. et pro domo cap. 27. Cum igitur Ciceronis capitis servandi causa Romam uno tempore quasi signo dato Italia tota convenisset, Lentulus consul senatum frequentissimum in Capitolium convocavit; in Pisonem cap. 15. et post redit. in senatu c. 10. Ibi tum in templo Iovis Opt. Max. Q. Metellus Nepos cos., qui Ciceroni vel maxime ex magnis contentionibus rei publicae fuerat inimicus, permotus cum auctoritate senatus, tum P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens cum M. Tullio rediit in gratiam; post red. in senatu cap. 10., pro Sestio cap. 33. et 62. et de provinciis cos. cap. 9. Hic cum mitissimam orationem in senatu habuisset, Cicero ad eum misit ep. 4. lib. V. ad Famil., in qua studium et auxilium eius implorat. Illo vero die, cum CCCCX. senatores magistratusque omnes in Capitolio adessent, Cn. Pompeius de scripto sententia dicta uni Ciceroni patriae conservatae testimonium dedit: cuius sententiam frequentissimus senatus, uno P. Clodio dissentiente, secutus M. Tullium ab exsilio revocavit; post redit. in senatu cap. 10., pro Sestio cap. 61. et pro Milone cap. 15. De hoc S. C. in aede Iovis Mariana facto Cicero lib. I. cap. 28. de Divinat. et Valerius lib. I. cap. 7. Faciebat eodem die ludos in theatro consul: quo cum ipse et senatores spectatum e senatu venissent, S. C. illud de Ciceronis reditu factum, frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum est; pro Sestio cap. 55. et libr. I. cap. 28. de Divinat. Postridie de Ciceronis salute P. Lentuli consulis, Cn. Pompeii ceterorumque principum, in his P. Servilii et L. Gellii, celeberrimae et gravissimae conciones fuerunt; post redit. ad Quirites cap. 6. seq. et in senatu cap. 11., pro Sestio cap. 50., in Pisonem cap. 15. Eodemque die decretum in curia fuit populi ipsius Romani et eorum,

qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de caelo servaret, ne quis moram ullam afferret; si quis aliter fecisset, eum plane eversorem rei publicae fore idque senatum gravissime laturum; et ut statim de eius facto referretur. Addidit senatus etiam illud: nisi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuisset, esset actum, rediret in patriam dignitate omni recuperata. Decrevit eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis M. Tullii causa convenerant, agerentur gratiae, atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur; pro Sestio cap. 62., post red. in senatu cap. 9. et 11. et in Pisonem cap. 15. Legem deinde omnes magistratus praeter Appium praetorem duosque tribunos pleb. Q. Numerium Rufum et Sex. Atilium ex S. C. promulgarunt; in Pisonem cap. 15. Cum ferendae legis dies, qui fuit pridie Non. Sextil., venisset, et Lentulus consul idemque lator legis comitia centuriata in campo Martio haberet, P. Clodius legem de more dissuasit; quod Dio libro XXXIX, 8. plane scribit et Cicero pro domo cap. 33. ita significat: *illa fuit pulchritudo populi Rom., illa forma, quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi contra senatus totiusque Italiae auctoritatem et studium dicendi potestas fuit;* et in Sestiana cap. 50.: *Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem.* Verum, cum et alii et Pompeius in primis legem suaderet, ut Dio scribit, summo consensu omnium centuriarum accepta fuit, cum nemini civi ulla, quo minus adesset, iusta excusatio esset visa, nullis comitiis unquam multitudo hominum tanta neque splendidior fuisset; in Pisonem cap. 15. Constat enim, ut idem pro domo sua cap. 28. ait, nullis unquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Idem est in orat. post reditum ad Quir. cap. 8. et in sen. cap. 11. Pridie Non. Sextil., ipso illo die, quo lex est lata, Cicero Dyrrhachio profectus Brundisium venit Non. Sext.; epist. 1. lib. IV. ad Att. Advenienti Ciceroni tamquam totius Italiae atque ipsius patriae dexteram porrexerunt Brundisini: cum ipsis Nonis Sextil. idem dies adventus M. Tullii fuisset, qui natalis idem Tulliae filiae, quae ibi patri fuit praesto; idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idem Salutis: quae res animadversa a multitudine summa Brundisinorum gratulatione celebrata est; pro Sestio cap. 63. et libr. IV. ad Att. epist. 1. Brundisii cum esset in domo optimorum et fortissimorum virorum Laenii Flacci et patris et fratris eius, ante diem VI. Idus Sextiles cognovit litteris Quinti fratris, mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae, legem comitiis centuriatis esse perlatam; ibidem. Inde a Brundisinis honestissimis decretis ornatus iter via Appia Romam versus fecit. In itinere XXIV. dies consumpsisse videtur, cum Sextilis tum XXIX. dierum esset. Brundisio profectus Neapolim, inde Capuam, Sinuessam, Minturnas, Formias, Terracinam et demum Ariciam, pridie Non. Septembr. Romam venit; epist. 1. lib. IV. ad Att.[1] Toto autem illo itinere a Brundisio usque Romam agmen perpetuum

1) „Quod si absentiae Ciceronis menses numerentur, septemdecim, si vero exsilii, secundum Appianum sexdecim omnino esse nemo non videt." Ferratius Epp. p. 211.

totius Italiae vidit. Neque enim regio fuit ulla neque municipium neque praefectura aut colonia, ex qua non publice ad Ciceronem venerint gratulatum. Magnae erant effusiones hominum ex oppidis, maximi concursus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis. Cumque viae multitudine legatorum undique missorum celebrarentur, urbes Italiae festos dies agere adventus eius videbantur; in Pisonem cap. 22. et pro Sestio cap. 63. Ad urbem ita venit, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui ipsi obviam non venerit; epist. 1. lib. IV. ad Att. Itaque in Pisonem cap. 22. ait: *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii; cum senatum egressum vidi populumque Rom. universum; cum mihi ipsa Roma prope convolsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est.* Cum venisset ad portam Capenam, qua via Appia ducit in Urbem, gradus templorum (in quibus fuit Martis et Camenarum) ab infima plebe completi erant: a qua plausu maximo cum esset Ciceroni gratulatio significata, similis et frequentia et plausus eum usque ad Capitolium celebravit; in foro et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit; epist. 1. lib. IV. ad Att. *Itaque ille unus dies*, ait pro domo cap. 28., *quo die me populus Romanus a porta in Capitolium atque in domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit, tantae mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur.* Plutarchus c. 33. scribit, revertenti Ciceroni tanta laetitia civitates, tanto studio homines obviam venisse, ut infra veritatem sit, quod postea dixit, se humeris Italiae Romam reportatum fuisse. Dixit autem hoc in extrema oratione post reditum in senatu. Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Septembr., senatui gratias egit ea oratione, quae *post reditum in senatu* inscripta exstat. Egit etiam populo Rom. gratias altera oratione, quae *post reditum ad Quirites* inscribitur.[1] De utraque Dio ita scribit: κατῆλθέ τε οὖν ὁ Κικέρων καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων, καὶ κατὰ τὸ συνέδριον καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω. Id est: *Rediit igitur Cicero et gratias*

1) Hae cum duabus illis pro domo sua et de haruspicum responsis, nuper a Savelsio defensae, ab inepto declamatore primis Augusti annis, ut puto, ante a. u. c. 740. compositae Ciceronique tributae sunt. Suspicari licet praeter ea, quae falsarius e Pisoniana et Sestiana suffuratus est, alia permulta hausta esse e Ciceronis *Expositione suorum consiliorum*, quem librum ad hunc annum refert Dio 39, 10. T. I. p. 488. Sturz. Novum autem argumentum νοθείας istarum declamationum trahimus e Scholiis Bobiensibus ad Orat. post red. in sen. p. 248. Ed. nostrae: *Orationum ordo Tullianarum a nobis profecto postulabat, ut praecedentis commentario eam subiiceremus, quae inscribitur* SI EUM P. CLODIUS LEGIBUS INTERROGASSET; *quae oratio videtur post mortem eius inventa.* Adeo iam isti Scholiastae, homini minime vafro, improbabile videbatur a Cicerone ipso editam esse eam, quae etiamtunc ferebatur, orationem SI EUM cet., ut ad tam precariam confugeret opinionem, eandem post mortem demum eius esse inventam. Praeterea in tota hac κρίσει nunquam obliviscenda verba sunt Asconii in Or. in toga cand. pag. 95. Ed. Bait.: *Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare.* E contraria Tullii admiratorum schola profectae sunt orationes subditiciae.

tum senatui, tum populo, concione a consulibus data, in senatu et in concione egit. Eo biduo, cum esset annonae summa caritas, homines primo ad theatrum venerunt, ubi L. Caecilio Rufo praetore ludos Apollinares faciente ita infima concitata multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur: deinde iidem ad Capitolium, ubi tum senatus habebatur, concurrerunt. Cumque caedem et incensionem Capitolii senatoribus minarentur atque idcirco per eos dies, quibus senatus de annona habebatur, consulares plerique abessent, quod tuto se negarent posse sententiam dicere: in Ciceronis sententiam factum est S. C. atque ex eo lex promulgata, ut Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur; Cicero pro domo cap. 3. seqq. et epist. 1. lib. IV. ad Att., Asconius in Milonianam cap. 14., Plutarchus in Pompeio et Dio lib. XXXIX, 9. Secuta est deinde magna contentio de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati consecraverat. Populus eam comitiis centuriatis eodem iure esse iusserat, quo fuisset. Verum senatus decreverat, ut de eius religione ad Pontificum collegium referretur; ut est in orat. de harusp. resp. cap. 6. Apud pontifices pridie Kal. Octobr. Cicero pro domo dixit eam orationem, quae exstat: in qua primum respondet Clodio, qui actionem eius de potestate rei frumentariae Pompeio danda reprehenderat; deinde suam domum propter Clodii consecrationem sacram non esse, sed ab omni religione vacuam atque puram docet. Nam, ut Dio lib. XXXIX, c. 11. scribit, lationem legis curiatae, qua e patriciis ad plebem Clodius transierat, criminans, quod ex instituto maiorum per trinundinum promulgata non fuisset, omnem eius tribunatum, in quo etiam de domo Ciceronis constituerat, evertit, affirmans nihil ab eo tribuno pleb. iure fieri potuisse, qui ipse contra omne ius plebeius factus esset. Atque ita pontificibus persuasit, ut sibi aream, quae ab omni religione vacua et pura esset, restituerent. Hactenus Dio. Itaque Cicero in Pisonem cap. 22. ait: *Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, P. C. collocaverunt mihique quod ante me nemini pecunia publica aedificandam domum censuerunt.* In quem locum Asconius legendus. Superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt HS. vicies, Tusculanam villam HS. quingentis milibus, Formianum HS. ducentis quinquaginta milibus; epist. 2. lib. IV. ad Att. Eodem anno Ptolemaeus Auletes rex Aegypti, cum, ingenti pecunia consumpta, ut rex atque socius populi Rom. appellaretur, eam vi ab Aegyptiis extorqueret et cum hoc nomine, tum quod Cyprum a Romanis repetere aut amicitiam eis renuntiare nollet, apud suos offendisset: regno pulsus Romam venit P. Lentulo etiam tum consule, cui Cilicia obtigerat, petens, ut in regnum restitueretur. Aegyptii quoque legatos, qui regis crimina purgarent, miserunt; de quibus Dio XXXIX. et Cicero de harusp. respons. cap. 16. Ante diem tertium Non. Novembr. expulsi fuerunt fabri de area Ciceronis. Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area Marci, deinde inflammata iussu Clodii; epist. 3. lib. IV. ad Att. Haec est vis illa nefaria, qua se cum fratre domo

expulsum fuisse ad Lentulum epist. 9. scribit. Cum autem Clodius saxis et ignibus et ferro vastitatem aedibus Ciceronis intulisset, decrevit senatus eos, qui id fecissent, lege de vi, quae est in eos, qui universam rem publicam oppugnassent, teneri; in orat. de harusp. responsis cap. 8. Quae deinde usque ad VIII. Kal. Decembr. acta sunt, vide ep. 3. lib. IV. ad Att. IV. Idus Decembr. novi trib. pl. magistratum inierunt, e quibus a Cicerone lib. I. ep. 1. et 2. ad Fam., lib. II. ep. 1. ad Fratrem, et Dione lib. XXXIX. hi nominantur: P. Rutilius Lupus, C. Porcius Cato, C. Cominius, L. Racilius, Cn. Plancius, A. Plautius, Sex. Antistius Verus et Cassius. Cum tribuni magistratum inissent, C. Cato turbulentus adolescens et audax nec imparatus ad dicendum concionibus assiduis invidiam et Ptolemaeo simul, qui iam profectus ex Urbe erat, et P. Lentulo consuli paranti iam iter concitare secundo quidem populi rumore coepit. Quod ex lib. XXII. Annal. Fenestellae Nonius Marcellus refert (p. 385. Merc.). In quindecim legatis, quos Pompeius sibi rei frumentariae causa legaverat, fuit Q. Cicero: qui cum esset in Sardinia, M. Cicero ad eum scripsit, quae extremo huius anni mense in senatu acta fuerunt, epist. 1. lib. II. ad Frat.

Anno Urbis DCXCVII. Ciceronis LI. coss. fuerunt

CN. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS, L. MARCIUS PHILIPPUS.

In collegio praetorum huius anni fuerunt Cn. Domitius, Q. Ancharius et C. Claudius Pulcher; ut pro Sestio cap. 53., lib. II. ad Frat. et in Cicerone Plutarchi cognoscitur. M. Tullius initio huius anni omni studio in id incubuit, ut P. Lentulo, qui Ciliciam pro consule obtinebat, Ptolemaei regis reductio decerneretur. Argumento sunt epistolae, quae hoc tempore ad Lentulum missae lib. I. ad Fam. exstant. Tum quoque orationem de rege Ptolemaeo, cuius apud Aquilam et Fortunatianum mentio est, habuisse videtur, cum regis Alexandrini restitutionem Lentulo sua sententia decerneret.[1] XIV. Kalend. Febr. Cicero scripsit ad Q. Fratrem epistolam 2. lib. II., ubi ait comitia aedilitia, quibus Clodius aedilitatem petebat, edicta esse a. d. XI. Kal. Febr. Clodius aedilis factus Miloni diem dixit et de vi ad populum accusavit[2]; pro Sestio cap. 44., in Vatinium cap. 17. et lib. II. ad Frat. Qua de re Dio XXXIX, 18. ita scribit: *Clodius simulatque aedilitatem Marcellino et Philippo coss. iniit, Miloni diem dixit, quod gladiatoribus rem publicam obsedisset: quae enim ipse commiserat quorumque nomine reus erat, ea illi crimini dabat; non quod Milonem condemnatum iri speraret, qui patronos magnos, in iis Pompeium et Ciceronem, habebat, sed ut per hanc causam et Milonem oppugnaret et patronos eius vexaret.* IV. Non. Febr. Milo affuit: ei Pompeius advocatus venit: prodicta dies est in VIII. Idus: quo die Pompeius, cum pro Milone apud populum diceret, clamore convicio-

1) Vide nunc Fragmenta a Maio reperta.
2) Cfr. Tunstalli Ep. ad Middl. p. 94.

que iactatus est, Clodiusque diem in Quirinalia, id est XIII. Kal. Mart. prodixit; epist. 3. lib. II. ad Frat. et epist. 5. lib. I. ad Fam. Cicero autem iam ante diem tertium Kal. Febr. ad Atticum ex Epiro in Italiam reversum miserat epistolam 4. lib. IV. A. d. IV. Id. Febr. P. Sestius a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus fuit propter caedem, quam anno superiore VIII. Kal. Febr., cum de Ciceronis reditu ageretur, in foro factam diximus. Defensus fuit cum ab aliis, tum a Q. Hortensio et M. Cicerone, cuius oratio pro Sestio exstat. Sestius absolutus fuit pridie (al.: V.) Id. Mart.; epist. 4. lib. II. ad Frat. Oppugnaverat Sestium maxime P. Vatinius, qui etiam testimonium in illum dixerat. Itaque Cicero Vatinium testem perpetua interrogatione accusavit: quae oratio separatim edita exstat; de qua Fabius lib. V. cap. 7. et Cicero epist. 9. lib. I. ad Famil.: *Tota vero interrogatio mea* (orationem in Vatinium sic appellat) *nihil habuit aliud nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum.* III. Id. Febr. Cicero dixit pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu. Prid. Id. T. Pomponius Atticus, Pilia uxore ducta, nuptias celebravit, in quibus Cicero coenavit; ep. 3. lib. II. ad Frat. Tulliam filiam Cicero anno proximo ante consulatum suum desponderat C. Pisoni L. F. Frugi; ep. 3. lib. I. ad Att. Eius amor, virtus, pietas in Ciceronem exsulantem tanta fuit, ut supra nihil posset; epist. 1. et 3. lib. XIV. ad Fam. et in orat. post redit. Ei vero fructum pietatis suae ferre non licuit: decessit enim anno superiore, ut ex Sestiana cap. 31. et orat. in Vatinium cap. 11. cognoscitur. Quem cum Tullia hoc anno eluxisset, Cicero pridie Non. Apr. eam Furio Crassipedi despondit eique VIII. Idus sponsalia praebuit; lib. II. ad Frat. epist. 5., ut Manutius nunc distinxit. Unde scribit ad Attic. lib. IV. epist. 5.: *Viaticum Crassipes praeripit.* De hac coniunctione gratulatus etiam Lentulus Ciceroni fuit: cui Cicero respondet epist. 7. lib. I. ad Fam. Non. April. factum fuit S. C. in Ciceronis sententiam, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur; epist. 9. lib. I. ad Fam. Cum autem Miloni dies in Nonas Maias prodicta esset, Cicero Roma exivit villasque lustravit; epist. 7. et 8. lib. II. ad Frat. Prodigia interim facta, ut Dio lib. XXXIX. c. 20. scribit. Nam et in Albano monte sacellum Iunonis, quod in mensa dedicatum orientem solem spectabat, ad septentriones conversum est: fax a meridie ad aquilonem porrigi visa: lupus urbem intravit, terra movit, cives quidam fulmine icti sunt et in agro Latiniensi auditus fuit strepitus sub terra cum fremitu. Quae cum haruspices expiari vellent, iratos deos esse, quod loca sacra et religiosa profana haberentur, responderunt. Hanc occasionem arripiens Clodius aedilis habuit concionem de sacris et religionibus atque Ciceronis domum inter ea loca esse dixit, quae consecrata profana haberentur. Itaque postridie Cicero defendens se in senatu, qui ex haruspicum responso decreverat, ut de locis sacris et religiosis consules ad senatum referrent, orationem habuit de haruspicum responsis, quae exstat: in qua haruspicum responsa contra Clodium interpretatur. Tum quoque Cicero, ut Dio XXXIX, 21. scri-

bit, Milone et quibusdam trib. pl. adhibitis, in Capitolium venit et tabulas de exsilio suo a Clodio trib. pl. fixas deiecit. Sed Clodius cum fratre Caio, qui praetor erat, interveniens eas tum eripuit. Postea vero observata Clodii absentia rursus in Capitolium ascendit et tabulas inde ablatas domum suam asportavit. Quod factum a Clodio reprehensum cum Tullius in senatu, ut Plutarchus c. 34. narrat, sic defenderet, ut diceret Clodium contra leges e patriciis ad plebem transiisse ideoque nihil eorum, quae gessisset, ratum habendum esse, Cato indignatus illi contradixit, non quod Clodium laudaret, cuius acta oderat, sed grave et violentum esse confirmabat tot decreta et res gestas senatus consulto tolli, in quibus essent etiam ea, quae ipse in Cypro et Byzantii gessisset; de quibus rebus praeter historicos Cicero pro domo c. 8. et 25., in Sestiana cap. 28. seq. et alibi. Hoc etiam tempore actum in senatu fuit de stipendio exercitus Caesaris: idque Cicero se non solum decrevisse, sed etiam, ut alii decernerent, laborasse ait in orat. de provinciis coss. cap. 11. Stipendii decreti meminit epist. 7. lib. I. ad Fam., ubi et de decem legatis. De quibus sic in oratione de provinciis eodem cap.: *Actum est de decem legatis: quos alii omnino non dabant; alii exempla quaerebant; alii tempus differebant; alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intelligerent me id, quod rei publicae causa sentirem, facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem;* et pro Balbo c. 27.: *Idem in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decrevit.* Hos decem legatos a Dione intelligi puto, cum de honoribus Caesari habitis scribit: (XXXIX. 25.) *ὥστε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας ὡς καὶ ἐπὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς Γαλάταις ἀποστεῖλαι.* Nam re bene gesta, dispensandae cohonestandaeque victoriae, ut Manlius apud Livium lib. XXXVIII. c. 47. ait, imperatoribus decem legati decernebantur. A. Gabinius, qui Syriam pro consule tenebat, in Palaestina re bene gesta contra Aristobuli filium Alexandrum ipsumque Aristobulum, ut Iosephus lib. XIV. Antiquitatum scribit, litteras Romam misit, quibus et rem bene gestam in bello nuntiavit et supplicationem a senatu postulavit. Idibus Maiis senatus frequens supplicationem Gabinio denegavit; epist. 7. lib. II. ad Q. Fratrem, de provinciis cos. cap. 6. et in Pisonem cap. 17. seqq. Deinde, cum provinciae consulares futuris consulibus lege Sempronia essent decernendae, ut in argumento orat. de provinciis scripsi, et de quattuor provinciis sententiae dictae essent, de Syria, Macedonia et duabus Galliis, M. Tullius rogatus sententiam orationem, quae de provinciis consularibus exstat, in senatu habuit; in qua suadet, ut Syria et Macedonia futuris consulibus decernantur et Galliae Caesari non adimantur. Ante orationem de provinciis in libris Ciceronis legitur Corneliana pro L. Cornelio Balbo, quam hoc anno a M. Tullio dictam esse ex eo suspicor, quod de supplicatione, stipendio et decem legatis extrema fere oratione dicitur. Ea enim hoc anno Caesari decreta esse non solum oratio de provinciis docet, verum etiam epist. 7. lib. I. ad Lentulum: quam tametsi docti quidam ad secundum consulatum Pompeii et Crassi referunt, tamen hoc anno scriptam esse arguit, quod L.

Racilius inter magistratus nominatur, quem Marcellino et Philippo coss. trib. pl. fuisse supra diximus.[1] Igitur Balbus, cum esset Gadibus in Hispania natus ac bello Sertoriano imperatoribus Romanis probatus, bello confecto a Cn. Pompeio civitate Romana donatus et, quia per L. Cornelium hoc beneficium consecutus fuit, L. Cornelius Balbus vocatus est. Inimici et Caesaris et Pompeii accusatorem compararunt, qui Balbo hoc tempore civitatis controversiam movit, negans eum iure et recte civitate donatum, cum ex foederato populo, quo in numero Gaditanus erat, nemo posset, nisi is populus factus esset fundus, id est, auctor obstringendi se iure civium Romanorum, in civitatem venire. Defenderunt Balbum M. Crassus, Cn. Pompeius et M. Cicero. De Planciana, quae suo loco non legitur, dicemus infra. Nunc de Caeliana dicendum. Hoc anno Ciceronem pro M. Caelio apud Cn. Domitium praetorem dixisse Corradus scribit. Manutius cum in Commentario in epistolam quintam libri secundi ad Q. Fratrem orationem pro Caelio habitam Marcellino et Philippo coss. scripsisset, exponens deinde epistolam duodecimam eiusdem libri, diem illi in biennium prodicit atque L. Domitio et Appio Claudio coss. Caelium de vi accusatum et defensum a M. Tullio facit. Res est non levis, quae et tanti viri animum in scribendo distraxerit et aliis ancipitem curam cogitandi afferre possit. Quare, an certi quid eruere queamus, experiamur. Quaestionem illam C. Domitium exercuisse ipsa oratio demonstrat. Fuit autem Cn. Domitius praetor hoc anno, apud quem Ciceronem pro Bestia dixisse indicavimus. Fuit quoque alius Domitius praetor biennio post, apud quem Caelius causam dicere debebat; ep. 13. lib. II. ad Fratrem. Cur autem Caelium lege Lutatia de vi reum factum apud Domitium, qui his coss., non apud eum, qui biennio post praeturam gessit, putem, illa me causa maxime movet, quod M. Crassus una cum Tullio Caelium defendit. Nam interpretum inscitia, qui Crassum Caelii accusatorem faciunt, ridenda vel miseranda potius quam refutanda. Cassius vero, cum anno insequenti consul paludatus exierit, Appio et Domitio coss. ne Romae quidem fuit, nedum causas ibi orare potuit. Huc accedit, quod Alexandrinae legationis princeps Dio Academicus, cuius interficiendi causa Caelium aurum a Clodia sumpsisse adversarii arguebant, anno superiore fuerit occisus, auctore Dione lib. XXXIX. 14. et Strabone in XVII., nec veri simile sit accusatorem huius caedis crimen et accusationem in annos plures distulisse. Si quis obiiciet Cn. Domitium huius anni praetorem de ambitu quaesivisse, Caelium de vi accusatum fuisse, is, si probaverit singulos praetores tantummodo uni quaestioni praefuisse, magnum fecerit. Nec me movet, quod Caelius Appio et Domitio coss. reus invenitur. Quid enim obstat, quaeso, quo minus hoc tempore absolutus a gente Clodia in iudicium retrahi potuerit? Quod Latomus putat, hanc orationem Appio et Domitio coss. ideo habitam, quod Cn. Domitius, qui post illos consul fuit,

1) „Scripta est a. u. c. 698.; de tempore enim Hieronymo Ragazonio contra Fr. Fabricium assentior; nam quod L. Racilii, qui a. 697. trib. pl. fuit (v. Pighium 3. p. 382.), hac ep. inter magistratus mentio fit, patet sermonem esse de rebus praeteritis." Martyni-Laguna Epp. Cic. p. 18.

in eorum consulatu praeturam gessisse videatur, tempori, quo ista scripsit, attribuito. Hoc ergo maneat, Caelium lege Lutatia de vi propter seditiones Neapolitanas et alia crimina accusatum: de seditionibus Neapolitanis et Alexandrinorum pulsatione Puteolana a M. Crasso; de auro, quod a Clodia sumpsisse, et veneno, quod eiusdem Clodiae necandae causa parasse dicebatur, a M. Cicerone hoc tempore esse defensum. Q. Metellus Nepos ex consulatu in Hispaniam profectus eam provinciam hoc tempore pro consule obtinebat; unde τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατος a Plutarcho in Caesare nominatur: videturque ex Hispania ad Ciceronem misisse epistolam 3. lib. V. ad Fam., in qua de contumeliosis concionibus Clodii aedilis [1] conqueritur. Clodius frater Nepotis appellatur etiam in orat. post redit. in senatu cap. 10. et pro domo cap. 27. non propter affinitatem, ut vulgo interpretes sibi persuaserunt, verum quia ἐν γένει αὐτῷ ἦν, ut Dio de Metello Celere ait, quem etiam Cicero de haruspicum responsis cap. 21. et pro Caelio cap. 24. Clodii fratrem nominat. Fuerunt autem fratres patrueles sive, ut iurisconsulti vocant, amitini. Caecilia enim mater Clodii Metellorum amita fuit. Metellum Nepotem hoc tempore in Hispania decessisse eumque a Cicerone intelligi epist. 7. lib. IV. ad Att. viri docti putant.[2] Quod si verum esset, Dionem lib. XXXIX. c. 54., ubi res ab eo in provincia gestas exponit, praetermissurum fuisse non arbitror. Immo si iam in Hispania periit, est quod Pediano gratiam referat, qui illum mortuum in vitam reduxit atque in numero novem consularium, qui biennio post Scaurum reum laudaverunt, collocavit. Utcunque est, M. Tullius quinque epistolas libri quarti ad Att., scilicet quartam, quintam, sextam, septimam et octavam, his consulibus scripsit. In sexta meminit epistolae ad Lucceium missae, quae est 12. lib. V. ad Famil., qua, ut res a se in consulatu gestas scribat, eum rogat. C. Iulius Caesar gestis hoc anno rebus illis, quas lib. III. commentariorum perscripsit, exercituque in Aulercis Lexobiisque, reliquis item civitatibus, quae proxime bellum fecerant, in hibernis collocato discedens in Italiam Lucae hiemavit; auctore Plutarcho in Pompeio, Caesare et Catone. Eoque Pompeium et Crassum extractos compulit, ut detrudendi L. Domitii causa, qui palam minabatur consulem se effecturum, quod praetor nequisset, ademturumque Caesari exercitus, consulatum alterum peterent; Suetonius in Iulio cap. 24. Ita factum, ut Domitius, qui tot annos, quot habebat, id est, per totam vitam designatus consul fuerat, consul fieri non potuerit; epist. 8. lib. IV. ad Attic. Cum autem Pompeius et Crassus intra legitimum tempus professi non essent, effecerunt cum per alios, tum per C. Catonem trib. pleb., ne eo anno comitia haberentur; ut, cum res ad interregnum redisset, legitime consulatum et peterent et capesserent. Dio lib. XXXIX. c. 27.

---

1) „Vel potius Metelli illius, quem cum Appio et Clodio coniunxit Cicero ad Attic. IV, 3. quemque improbissimum civem fuisse ex eisdem epistolis patet" cet. Martyni-Laguna Epp. Cic. p. 217.

2) Verba haec sunt: *De Metello*, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν. *Sed tamen multis annis civis nemo erat mortuus, qui* . . . . . . Quae verba ad eundem, quem tangit Lib. IV., 3., pertinere arbitror.

Anno Urbis DCXCVIII. Ciceronis LII. coss. fuerunt

CN. POMPEIUS MAGNUS II., L. LICINIUS CRASSUS II.

Consulatum ex interregno inierunt (Dio lib. XXXIX, 31.) reliquosque magistratus suo arbitratu crearunt: quo tempore M. Cato in praeturae petitione repulsam tulit et P. Vatinius in locum eius creatus est; Plutarchus et Dio. Cicero mense Aprili fuit ruri ibique scripsit epistolam 10. lib. IV. ad Att., cum Puteolis magnus esset rumor Ptolemaeum esse in regno. Eum A. Gabinius hoc anno iussu Pompeii in regnum restituit; Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XXXIX, 55., Strabo lib. XII. et XVII. Meminit Cicero in Pisonem cap. 21.; quam orationem his consulibus dixit auctore Asconio, cum Piso, revocatus e Macedonia sententia Ciceronis, quam anno superiore de provinciis consularibus dixerat, de insectatione eius in senatu conquestus atque in eum invectus esset. Pisoni Cicero respondit oratione illa, quae exstat et continet Pisonis vituperationem, quamvis in senatu sit habita loco sententiae; ut testatur Quintil. lib. III. cap. 9. Dicta fuit oratio auctore Asconio ante paucos dies, quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicavit. Magnificentissima vero Pompeii munera secundo consulatu fuerunt; ait Cicero lib. II. cap. 16. de Officiis et demonstrat epist. 1. lib. VII. ad Famil. ad Marium. De theatro et ludis Pompeii Plutarchus in eius vita, Dio lib. XXXIX, 38., Tacitus Annal. lib. XIV. cap. 20., Plinius lib. VIII. cap. 7. Hoc anno Cicero ad Quintum fratrem scripsit epistolam 9. et 10. lib. II. et ad Atticum ep. 9. 10. 11. 12. et 13. lib. IV. In tertia decima facit mentionem profectionis Crassi in Syriam: antequam vero paludatus exiret, coenavit apud Ciceronem in hortis Crassipedis generi; ep. 9. lib. I. ad Fam. Proficiscentem Ateius Capito, tribunus plebis, diris retinere conatus est: ille vero dirarum obnuntiatione neglecta in Syriam contendit atque exercitu deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit; Cicero lib. I. cap. 16. et II. cap. 9. de Divinat., Plutarchus, Appianus, Dio, Velleius lib. II. cap. 46. et alii. Cicero hoc tempore scripsit etiam tres libros de Oratore: de quibus sic ad Att. ep. 13. lib. IV.: *de libris oratoriis factum est a me diligenter; diu multumque in manibus fuerunt: describas licet.* Vide etiam prooemium lib. II. de Orat.[1]

Anno Urbis DCXCIX. Ciceronis LIII. coss. fuerunt

L. DOMITIUS AHENOBARBUS, AP. CLAUDIUS PULCHER.

Cum Crassus hoc tempore in Syriam iter haberet, Cicero eius absentis causam in senatu defendit et cum consulibus atque consularibus magna contentione decertavit; ut scribit ipse ad Lentulum ep. 9. lib. I.

1) Hoc anno compositum esse poëma *de temporibus suis Lib. III.* i. e. de exsilio suo ac reditu, prorsus diversos a libris III. *de consulatu suo*, frustra demonstrare conatus est Tunstall Ep. p. 102. seqq.

et ad Crassum epist. 8. lib. V. ad Famil. Quae initio huius anni mense Februario in senatu acta sunt, Cicero ad Fratrem scribit lib. II. epist. 11. et 12., ut in libris Manutianis distinguuntur.[1] Misit deinde in Galliam ad Caesarem procos. C. Trebatium Testam iurisconsultum cum litteris, quibus eum studiosissime commendat; epist. 5. lib. VII. ad Famil. Tum etiam Q. Tullius Cicero legatus Caesari in Galliam profectus est: de quo Caesar lib. V. cap. 24. et alibi. M. Cicero item Roma profectus ruri scripsit ad Atticum epistolam 14. lib. IV. Fuit autem in Cumano et Pompeiano: atque in Cumano instituit scribere πολιτικά, de optimo statu civitatis et de optimo cive[2]; epist. 14. lib. II. et 5. lib. III. ad Fratr. et epist. 13. lib. IV. ad Att. IV. Non. Iunias Cicero Romam rediit; epist. 14. lib. II. ad Fratr. IV. Non. Quintiles Sufenas et Cato absoluti sunt; epist. 14. lib. IV. ad Att.; de C. Catone absoluto Asconius pro Scauro Ed. Bait. p. 19. His rebus actis Cicero a Reatinis in eorum agrum eductus apud App. Claudium consulem et decem legatos Reatinorum causam contra Interamnates egit; epist. 15. libro IV. ad Att.[3], Varro de re rust. lib. III. cap. 2. VII. Id. Romam rediit, quo tempore se a causis et iudiciis districtissimum fuisse ait epist. 16. lib. II. ad Fratr. Defendit tum Messium, item Drusum; de quibus epist. 15. lib. IV. ad Att.; ubi hoc quoque scribit, se ex Quinti fratris litteris suspicari iam eum esse in Britannia. Illo tempore ad Trebatium scripsit epistolas 6. 7. 8. 9. et 10. lib. VII. ad Fam. Ex Britannià Quintus ad Marcum litteras misit, quibus ille mense Sextili respondit eodem die, quo P. Vatinium defendit; epist. 16. lib. II. ad Fratr. De Vatinio in gratiam recepto et defenso scribit epistola longa ad Lentulum, ad Fam. I, 9. Pro Vatinio Ciceronem dixisse L. Domitio, App. Clodio coss. Asconius testatur. Valerius quoque lib. IV. cap. 2. scribit M. Ciceronem P. Vatinium dignitati suae semper infestum duobus publicis iudiciis tutatum esse. Itaque Vatinius se clientem Ciceronis appellat epist. 9. lib. V. ad Famil. M. Aemilius Scaurus a C. Triario repetundarum postulatus apud M. Catonem praetorem a M. Tullio defensus est a. d. IV. Nonas Septembr.: vide Asconium. Hanc orationem una cum Planciana mense Septembri se absolvisse scribit epist. 1. (c. 4. §. 11.) lib. III. ad Fratr. Plancium his coss. a M. Iuventio Laterense accusatum et a Cicerone defensum esse Latomus et Corradus putant; recte meo quidem iudicio. Fuerat enim Plancius tribunus plebis biennio ante, ut diximus, atque in hunc annum aedilitatem recte petiit. Quod autem Silvius per consulem, quem Cicero comitia aedilicia habuisse ait, M. Crassum intelligit, nulla probabili ratione nititur nec potuit Plancius in tribunatu aedilitatem petere.

1) Nobis 12. et 13.

2) Id est, libros sex de re publica Attico, non Q. fratri inscriptos. Cfr. Maii Praefat. Ed. Stuttg. p. VII. Locos, ad eos spectantes, collegit ordinavitque Tunstall Ep. p. 140.

3) *Nuper cum Reatini, qui essent in fide mea, me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me neque dignitati praefecturae gravissimae neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuisset.* Pro Scauro 2, 27.

Hoc accedit, quod hunc fuisse legitimum annum aedilitatis Laterensis ex praetura eius perspicuum fit, quam triennio post, Ser. Sulpicio, M. Marcello coss. gessit; epist. 8. lib. VIII. ad Famil. Illud autem, quod Corradus pro certissimo argumento affert, quod C. Alfius, qui praeturam hoc anno gessit, quaesitor in causa Planciana fuerit, nullum est. Nam primum ex peroratione cognoscitur, non C. Alfium, sed C. Flavium quaesitorem fuisse: quem eundem praeturam tum gessisse affirmare non ausim. Arbitror enim tam quaesitorem, quam consilium, editicium fuisse: editos autem fuisse ab accusatore; quae potestas si rei fuisset, ait Cicero cap. 17., eum sine dubitatione C. Alfium tribulem suum quaesitorem atque e Terentina et Voltinia tribubus iudices fuisse editurum.[1] Pridie Nonas Septembr. ludi Romani, qui per novem continuos dies fiebant, commissi sunt. Ludorum diebus Cicero in Arpinati fuit et XIII. Kalend. Octobr. Romam venit; epist. 1. lib. III. ad Fratr. A. d. VI. Kalend. Octobres, cum aequinoctium subesset, Caesar exercitum Britannia reportavit; Cicero epist. 17. lib. IV. ad Att. et Caesar lib. V. cap. 23. Cum Caesar Britanniam peragraret, audivit decessisse filiam; Seneca de Consolatione ad Marciam cap. 14. Hinc Caesaris luctus epist. 1. lib. III. ad Fratr. de morte Iuliae, quae Pompeio nupta erat; Dio lib. XXXIX, 64., Plutarchus in Pompeio et Caesare. Cum M. Crassus A. Gabinio in Syria successisset, ille in Italiam reversus XII. Kal. Octobr. ad urbem accessit et IV. Kal. urbem noctu intravit et de maiestate accusatus est; epist 1. lib. III. ad Fratr. In eo iudicio Ciceronem Gabinium gravissime accusasse Dio lib. XXXIX, 62. auctor est, sed Cicero se testimonium secundum fidem et religionem gravissime in eum dixisse testatur ep. 4. lib. III. ad Fratr. Gabinio absoluto M. Tullius VIII. Kal. Novembr. in Tusculanum profectus fuit. Ita extremis mensibus huius anni Cicero omnes epistolas lib. III. ad Fratr. et postremas lib. IV. ad Att. et longam ad Lentulum scripsit (I. 9.) A. Gabinius de maiestate absolutus de repetundis accusatus et condemnatus fuit, quamvis Tullius rogatu Pompeii eum defendisset; Dio libro XXXIX, 63. Valerius libro IV. cap. 2.: *Sed huiusce generis humanitas etiam in M. Cicerone praecipua apparuit; A. namque Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat.* Cicero pro Rabirio Postumo cap. 12. ait, sibi causam defendendi Gabinii fuisse reconciliationem gratiae. Ibidem cap. 8. testatur se Gabinium ex maximis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defendisse. Cn. Pompeii auctoritate, Gabinio condemnato C. Memmius lege Iulia de repetundis accusavit C. Rabirium Postumum; qui, cum post mortem patris sui C. Curtii natus esset, a C. Rabirio avunculo adoptatus C. Rabirius Postumus dictus fuit. Defendit eum Cicero hiberno tempore, ut oratio indicat. Claudius Caesar apud Suetonium refert Rabirio Postumo, Ptolemaeum Alexandriam crediti servandi causa secuto, crimen maiesta-

1) Extra omnem controversiam positum est, M. Ciceronem pro Plancio aut exeunte mense Sextili aut ineunte mense Septembri a. u. c. 699. (700 Varr.) dixisse. Ceterum *C. Alfius* et *C. Flavius* idem est homo, scil. *C. Alfius Flavus* (non *Flavius*). Vide Wunderi Prolegg. ad Planc. p. LXVIII. seqq.

tis apud iudices motum fuisse. Hoc ad extremum admonebo, quattuor praetores huius anni a Cicerone in epistolis nominari, M. Catonem, Domitium, Servilium et C. Alfium; quibus Dio addit Ser. Sulpicium Galbam. Tribuni pleb. apud Ciceronem sunt Q. Mucius Scaevola, Terentius et C. Memmius: his apud Valerium lib. VIII. cap. 1, 3. additur Laelius.

Anno Urbis DCC. Ciceronis LIV. coss. fuerunt

CN. DOMITIUS CALVINUS, M. VALERIUS MESSALA.

Hi consules non statim initio, ut moris erat, sed septimo demum mense magistratum inierunt, auctore Dione lib. XL. 17. Cum enim anno superiore comitiorum consularium singuli dies obnuntiationibus sublati essent, ut scribit Cicero epist. 3. lib. III. ad Q. Frat., et ob id mense Ianuario nulli dum consules essent, interreges de more proditi fuerunt, qui rem publicam per sex menses administrarunt: cum, quod propter auspicia, quae secunda interregibus non eveniebant, comitia habere non possent; tum, quod tribuni pl., qui rem publicam tractabant, ne magistratus crearentur, impedirent, ut Dio scribit. Plura igitur hoc tempore interregna fuerunt; de quibus Cicero ep. 1. lib. VII. ad Famil., quam hoc tempore scriptam esse res ipsa indicat sicut et sequentes. Quarum decima tertia data est III. Nonas Mart., decima octava VI. Idus Apr. Sed, cum tribuni pl. comitia omni ratione impedirent ac primum, ut tribuni militares pro consulibus, deinde ut Pompeius dictator crearetur, ad populum ferrent, M. Catonis cohortatione adductus Pompeius effecit, ut Cn. Domitius et M. Messala coss. tandem crearentur; Plutarchus in Pompeio et Dio lib. XL. 45. His coss. M. Crassus, interfecto P. filio exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit, ut ait Cicero lib. II. cap. 9. de Divinat. et scribit praeter alios Orosius noster lib. VI. cap. 13. Periisse Crassum mense Iunio Ovidius lib. VI. v. 465. Fastorum indicat. In locum P. Crassi M. F. Cicero augur factus est; ut Plutarchus scribit c. 36. In auguratus petitione competitorem habuit C. Hirrum; de quo lib. II. et VIII. ad Fam. Sed M. Tullium augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt; Philipp. II. cap. 2. Ab Hortensio se cooptatum in collegium et inauguratum ait in Bruto cap. 1. Quo tempore Cicero augur factus est, C. Scribonius Curio filius in Italia non fuit, ut ipse ait Philipp. II. cap. 2. Erat autem in Asia eoque Cicero ad illum misit sex primas epistolas lib. II. ad Famil.

Anno Urbis DCCI. Ciceronis LV. consul fuit

CN. POMPEIUS MAGNUS III.

Sine Collega.

Petebant in hunc annum consulatum summis contentionibus T. Annius Milo, P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio. Petebat in

eundem annum praeturam P. Clodius, cui summae inimicitiae cum Milone intercedebant.[1] Itaque a. d. XIII. Kalend. Febr. cum Milo Lanuvium proficisceretur et Clodius Aricia rediens ei occurrisset, rixa et pugna forte commissa, Clodius interfectus est: quod Asconius in argumento orat. pro Milone pluribus verbis narrat. Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martias consul creatus est statimque consulatum iniit et novas leges tulit duas ex S. C.: alteram de vi, qua nominatim caedem Appia via factam et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit; alteram de ambitu, poena graviore et forma iudiciorum breviore proposita. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari iubebat; ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur, auctore Asconio. Hinc Tacitus in dialogo de Oratoribus cap. 38. ait, Pompeium primum adstrinxisse et imposuisse veluti frenos eloquentiae. De hac lege Pompeii Cicero in Bruto cap. 94.: *Maxime*, inquit (de se et Hortensio agens), *perspecta est utriusque nostrum exercitatio paullo ante, cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis ad causas simillimas inter se vel potius easdem novi veniebamus quotidie*; et initio lib. IV. de Finibus: *Ain tandem, cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas?* Perlata lege Pompeii et L. Domitio Ahenobarbo quaesitore suffragio populi creato, Milo de vi et de ambitu et de sodaliciis postulatus est. Accusarunt de vi Milonem III. Idus Apr. Appius maior, M. Antonius et P. Valerius Nepos: respondit illis unus M. Cicero. Qui cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, ita, ut non ea, qua solitus erat, constantia diceret. Sed oratio illa quoque excepta fuit, ut Asconius scribit. Meminit Quintilianus lib. IV. cap. 3. Eam vero, quam nos habemus, Cicero postea scripsit, cum Milo esset Massiliae, quo condemnatus in exsilium intra paucissimos dies profectus est; Asconius et Dio lib. XL. 54. Accusatus deinde M. Sanfeius, defendente Cicerone et M. Caelio, absolutus est. Sex. autem Clodius magno consensu damnatus est. (Asconius Ed. Bait. p. 54.) Pompeius in hoc consulatu Corneliam, Q. Metelli Scipionis filiam, uxorem duxit et socerum sibi in quinque menses extremos collegam subrogavit. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XL. 51., Appianus lib. II. Eundem Scipionem censoriam potestatem, quam Clodius imminuerat, lege restituisse Dio scribit XL. 57. Hoc anno fingitur habitus sermo de finibus bonorum et malorum, quem Cicero libris quinque postea perscripsit. Argumento sunt verba illa, quae de libro quarto modo adduxi, et illa lib. II. cap. 18.: *Ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda.* Extremo huius anni mense, cum T. Munacius Plancus Bursa magistratu abiisset, a Cicerone accusatus, a Cn. Pompeio defensus, condemnatus est; Dio lib. XL. 55. et Cicero ep. 2. lib. VII. ad Fam., quam hoc tempore

1) Ad hanc petitionem refertur *Interrogatio de aere alieno Milonis.* Cic. Fragmm. Ed. meae p. 456.

scripsit. Plancus omnibus sententiis, maximo populi plausu, condemnatus est, quod curiam incendisset; Philippica VI. cap. 4. et XIII. cap. 12.

Anno Urbis DCCII. Ciceronis LVI. coss. fuerunt

SER. SULPICIUS RUFUS, M. CLAUDIUS MARCELLUS.

Hoc tempore, certe post Clodii caedem, M. Tullius de legibus scripsit, ut ex lib. II. cap. 17. cognoscitur. Cum autem plures libros de legibus scripsisset, ad nos tres tantum iique mutilati pervenerunt.[1] Factum anno superiore senatus consultum erat, ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam ire posset, ut Dio lib. XL, 56. scribit. Hoc S. C. ire in provincias coacti sunt, qui in eas ex praetura aut ex consulatu non iverant. In his erat M. Tullius; cuius sors cum deiecta esset, Cilicia provincia consularis cum exercitu peditum XII. milium, equitum duum milium DC. ei obvenit, auctore Plutarcho cap. 36. Cicero se nomen tantum duarum legionum exilium habuisse ait epist. 15. lib. V. ad Att.; et epist. 6. lib. III. ad Fam. ait in tanta militum paucitate abfuisse tres cohortes. Tenuit Cicero procos. etiam Cyprum insulam Ciliciae oppositam et praeterea tres dioeceses Asiaticas, Cibyraticam, Synnadensem et Apameensem, ut lib. V. epist. 21. et lib. VI. epist. 1. et 2. ad Att. perspicitur. Itaque lib. I. cap. 1. de Divinat. ait, se nationibus Cilicum, Pisidarum et Pamphyliae praefuisse. Successit M. Tullius App. Claudio, quem de successione certiorem facit epist. 2. lib. III. ad Famil., cum epistolam primam prius ad ipsum in Ciliciam misisset. Legatos habuit Cicero Q. Tullium fratrem, C. Pomptinium, L. Tullium et M. Anneium, quaestorem L. Mescinium, cui C. Caelius postea successit. Profectus Cicero ex Urbe mense Maio, Nonis cum Attico in Tusculano fuit: inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano et Trebulano peragratis, Beneventum venit V. Idus Maias, Tarentum XV. Kal. Iun. et triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuit; ep. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7. lib. V. ad Att. Brundisium venit a. d. XI. Kalend. Iun.; epist. 3. libr. III. ad Famil. Ibi plures dies mansit. Pridie Non. Iunias se etiam tum Brundisii fuisse scribit ad Appium epist. 4. lib. III. ad Fam. Interim M. Caelius ad eum misit epistolam 1. lib. VIII., cui Athenis rescripsit epistolam 8. lib. II. ad Fam. Brundisio profectus Actium venit XVII. Kalend., Athenas VII. Kalend. Quintil.; epist. 9. et 10. lib. V. ad Att. Exsulabat tum Athenis C. Memmius de ambitu condemnatus; epist. 2. lib. III. ad Frat. et epist. 19. lib. XIII. ad Fam. et Appianus lib. II. Is pridie, quam Cicero Athenas venit, Mytilenas profectus erat; epist. 11. lib. V. ad Att.,

1) Contra Chapmannus in *dissert. de aetate Ciceronis librorum de legibus* p. 38. „Id quidem longe veri simillimum iudicarem eis operam praecipue navasse Ciceronem sub autumnum a. u. 709., absolutis iam libris de Divinatione et de Fato." Chapmanni rationes probavit etiam Beierus in exemplari Ed. Goerenz., quod nunc meum est. Nihilominus equidem facio cum Fabricio et Mosero. Vide huius *Introduct.* p. XXV. seqq.

tum Cicero ad eum misit epist. 1. et seq., ut videtur, lib. XIII. ad Famil. Cum Athenis decem ipsos dies fuisset, pridie Non. Quintil. inde profectus Ephesum venit a. d. XI. Kal. Quintil.; epist. 11, 12. et 13. lib. V. ad Att. et epist. 8. lib. II. ad Famil. Tralles venit a. d. VI. Kal. Sextil. àtque àd Appium misit epist. 5. lib. III. ad Famil. Laodiceam in provinciam venit pridie Kalend. Sextil.; epist. 15, 20. et ult. lib. V. ad Att., epist. 2. et 4. lib. XV. ad Fam. M. Caelius interim ad Ciceronem plures epistolas scripsit, quae lib. VIII. ad Famil. exstant. In quarta Kal. Sextil. data meminit C. Marcelli cos. designati: habita ergo comitia consularia fuerunt ante Sextilem, quibus creati consules sunt L. Paulus et C. Marcellus. Qua re cognita Cicero non solum ipsis, verum etiam C. Marcello patri et M. Marcello fratri patrueli C. Marcelli cos. design. gratulatus est; epist. 7, 8, 9 et 12. lib. XV. ad Famil. Triduum moratus Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade, VII. Kalend. Septembr. in Lycaoniam ad Iconium in castra venit; epist. 16. et sequentibus lib. V. ad Attic. et epist. 4. lib. V. ad Fam. C. Cassius, qui quaestor M. Crassi fuerat atque ex clade, quae ad Carrhas accepta erat, cum parte exercitus se in Syriam receperat eo tempore, quo Cicero in Ciliciam venit, Antiochia tenebatur Parthosque cedentes ab oppido insecutus rem bene gessit, Osace duce occiso; Cicero epist. 10. lib. II. ad Famil. et epist. 20. lib. V. ad Atticum, Dio lib. XL, 25. Iustinus lib. XLII. cap. 4. Unde Cicero Philipp. XI. cap. 14. de Cassio: *Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri adventum, cum Parthorum nobilissimos duces maximasque copias fudit Syriamque immani Parthorum impetu liberavit.* In castra Ciceronis ad Iconium ante diem III. Kal. Septembr. venerunt legati missi ab Antiocho Commageno, iique nuntiarunt Parthorum magnas copias Euphratem transire coepisse; ut scribit epist. 1. et 3. lib. XV. ad Famil. Pridie Kalend. Septembr. Cicero castra ab Iconio movit iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra posuit; epist. 6. lib. III. et epist. 2. et 4. lib. XV. ad Famil. et epist. 18. lib. V. ad Attic. Ibi cum dies quinque esset commoratus, regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu commendatam habebat, praesentibus insidiis liberavit; ut scribit ad Catonem et copiose exponit magistratibus epist. 2. et 4. lib. XV. ad Famil. Inde confestim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas et Tarsum venit a. d. III. Non. Octobr.; epist. 20. lib. V. ad Att. Non. Octobr. in senatu recitatae sunt Ciceronis litterae, quas publice de Parthico tumultu miserat; epist. 1. lib. XV. ad Famil. et epist. 21. lib. V. ad Att. Eodemque die Cicero Tarso Amanum versus profectus est; (epist. 8. lib. III. ad Famil.), qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic a. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hostium cecidit, castella munitissima cepit, incendit imperatorque appellatus est; epist. 20. lib. V. ad Atticum, epist. 10. lib. II. et 4. lib. XV. ad Famil. His rebus ita gestis castra in radicibus Amani habuit, ea ipsa, quae contra Darium habuerat apud Issum Alexander; ut est locis iam citatis. Inde Pindenissum, oppidum munitissimum Eleutherocili-

cum, diu omnibus machinis oppugnatum septimo et quinquagesimo die cepit, Saturnalibus mane; epist. 20. lib. V. ad Attic. et epist. 4. lib. XV. ad Famil. Pindenisso capto exercitum in hiberna dimisit iisque Quintum fratrem praeposuit; epist. 4. lib. XV. ad Fam. Extremo hoc anno Cicero ad Curionem misit ep. 7. lib. II. ad Fam., in qua illi de tribunatu plebis gratulatur, quem a. d. IV. Id. Decembr. iniit.

Anno Urbis DCCIII. Ciceronis LVII. coss. fuerunt

L. AIMILIUS PAULLUS, C. CLAUDIUS C. F. MARCELLUS.

Ad hos consules exstant Ciceronis litterae, quibus petit, ut quam honorificentissimum S. C. de rebus a se gestis faciendum curent; ep. 10. et 13. lib. XV. ad Fam. Hac de re scripsit etiam ad Catonem ep. 4. eiusdem libri. Tum Ciceroni pro re bene gesta supplicationes sunt decretae; epist. 11. lib. VIII. ad Famil. et epist. 1. lib. VII. ad Att.; pro quibus Marcello cos. gratias agit epist. 11. lib. XV. ad Famil. Nonis Ian. Cicero Tarso profectus fuit in Asiam, ut ibi suarum dioecesium hominibus ius diceret; epist. 21. lib. V. ad Att., quam Idibus Febr. se dedisse ait. Quo tempore Cicero Ciliciam et M. Bibulus Syriam obtinuerunt, eodem tempore Q. Thermus pro praetore in Asia et P. Silius in Bithynia, ut videtur, fuerunt: indicat ep. 1. lib. VI. ad Att. Itaque e Cilicia Cicero ad Thermum et Silium misit epist. 53. et alias, quae deinceps lib. XIII. ad Fam. leguntur. Laodiceae M. Tullius ex Idibus Febr. ad Kalend. Maias forum egit omnium dioecesium Asiaticarum; epist. 1. et 2. lib. VI. ad Attic. Eo venit M. Fabius, commendatus ei a C. Cassio. Commendat eundem ipse Caelio, Paeto et Curtio epist. 14. lib. II., epist. 25. lib. IX., epist. 59. lib. XIII. et epist. 14. lib. XV. ad Famil. Eodem tempore Cicero aliquot epistolas ad Caelium et Appium misit, quae lib. II. et III. leguntur. In quibus cum de aliis rebus, tum de Appii accusatione et Tulliae nuptiis agitur. Accusavit Appium reversum e provincia P. Cornelius Dolabella: eidemque Tullia M. Ciceronis filia hoc tempore nupsit [1]. De affinitate hac gratulatur Ciceroni Caelius epist. 13. lib. VIII. Fuit quoque Appius hoc anno, ut Dio scribit XL. 63., censor cum L. Pisone. Appii censurae meminit Cicero in epistolis ad ipsum, epist. 10. 11. et ult. lib. III. De eadem Q. frater lib. I. cap. 16. de Divin.: *In quo Appius collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum et civem egregium censor P. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscripserit.* Ex Asia Cicero in Ciliciam Nonis Maiis profectus (epist. 13. lib. II. ad Famil. et epist. 2. lib. VI. ad Att.) Tarsum venit Nonis Iun.; epist. 4. lib. VI. ad Att. Ciceroni interim quaestor C. Caelius

---

1) Scilicet de Tullia in matrimonium ducenda cum Cicerone egerat Ti. Nero, pater Tiberii imperatoris; pater cum in eo esset, ut Neroni desponderet Tulliam, Terentia totam rem occupans eam Dolabellae concessit, uti coniicere licet ex ep. 6. ad Att. Lib. VI. Hinc fortasse natum est dissidium inter Ciceronem et Terentiam.

obtigit: ad quem scribit epist. ult. lib. II. ad Fam. eundemque de provincia decedens III. Kal. Sextil. provinciae praefecit; epist. 6. lib. VI. ad Att., epist. 15. lib. II. ad Famil. et epist. 14. lib. III. Epheso proficiscens Kal. Octobr. Athenas venit pridie Idus; epist. 8. et 9. lib. VI. ad Att. et epist. 5. lib. XIV. ad Fam. Athenis Ciceronem libenter commoratum esse *πόθῳ τῶν πάλαι διατριβῶν* Plutarchus scribit cap. 36. Athenis imperatorem se apud Aristonem diversatum esse Tusc. V. cap. 8. ait. Tironem libertum Cicero e Cilicia in Italiam revertens Patris aegrum reliquit; epist. 2. lib. VII. ad Att.: ad eumque plures ex itinere epistolas misit, quae lib. XVI. ad Fam. leguntur et totius itineris rationem continent. Brundisium venit VII. Kal. Decembr., eodemque tempore uxor Terentia ad portam Brundisinam accessit, quo Tullius in portum; epist. 2. lib. VII. ad Att. et epist. 9. lib. XVI. ad Fam. Inde Romam versus proficiscens ex itinere scripsit ad Atticum epist. 3. 4. 5. 6. 7. et 8. lib. VII.

Anno Urbis DCCIV. Ciceronis LVIII. coss. fuerunt

C. CLAUDIUS M. F. MARCELLUS, L. CORNELIUS LENTULUS CRUS.

His consulibus M. Tullio pridie Non. Ianuar. ad Urbem accedenti sic est obviam proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius; epist. 11. lib. XVI. ad Famil., ubi addit, se incidisse in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli. Quod etiam Plutarchus scribit cap. 36. Nam Kalend. Ianuar. cum in Q. Metelli Scipionis sententiam S. C. fieret, uti ante certam diem Caesar exercitum dimitteret; si non faceret, eum adversus rem publicam facturum videri; eique S. C. M. Antonius et Q. Cassius tribuni pleb. intercessissent: senatus consulibus, praetoribus, tribunis plebis et iis, qui pro consulibus ad Urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid res publica detrimenti caperet. Tum Antonius et Cassius ad Caesarem ex Urbe cum Curione profugiunt; Caesar lib. I. cap. 5. de Bello civili, Cicero epist. 10. lib. XVI. ad Fam. et Philipp. II. cap. 21. Cicero ut venit ad Urbem, non destitit omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent; epist. 11. lib. XVI. ad Famil.; fuitque semper auctor pacis, ut testatur in orationibus pro Marcello cap. 5., Ligario cap. 9. et Deiotaro cap. 10., item epist. 6. lib. VI. et epist. 3. lib. VII. ad Famil. Eaque de re, ut Plutarchus cap. 37. tradit, privatim multa ad Caesarem scripsit et Pompeium coram precatus est, utrumque placans et deleniens. Sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habebantur, Cicerone clamante nihil esse bello civili miserius; epist. 12. lib. XVI. ad Famil. [1] Itaque Italiae regiones de-

1) *Ego, cum iam opes omnes et suas et populi Romani Pompeius ad Caesarem detulisset seroque ea sentire coepisset, quae ego multo ante provideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem, pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti meaque illa vox est nota multis:* „Utinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses aut nunquam diremisses! Fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae tuae." — Philipp. 2, 10, 24.

scriptae fuerunt, quam quisque partem tuerentur. Cicero Capuam sumpsit, quod pridie Idus Ianuar. ad Tironem scripsit epist. 11. lib. XVI. Cum interim Caesar traiecto Rubicone Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupasset, Urbem consules atque optimates omnes reliquerunt; Cicero epist. 12. lib. XVI. ad Famil., Dio lib. XLI. 6. et alii. M. Tullius quoque tum ab Urbe discessit; epist. 9. et sequente lib. VII. ad Att. Discessisse eum XIV. Kal. Febr. cognoscitur epist. 12. lib. IX. ad Att. Fuit Cicero ἐπίσκοπος totius orae maritimae a Formiis; epist. 12. lib. XVI. ad Famil. et epist. 11. lib. VII. ad Att. VIII. Kal. Februarias Cicero Minturnis fuit; epist. 13. B. lib. VII. ad Att. Reliquerat uxorem Terentiam et filiam Tulliam Romae; epist. 12. lib. XVI. ad Famil.: quarum curam saepius Attico mandat. Ipsas quoque de hac re monet epist. 14. et 18. lib. XIV. ad Famil. VI. Kal. Febr. Cicero Calibus Capuam proficiscens ad Atticum misit epist. 14. libr. VIII. et postridie sequentem. IV. Kalend. Capua ad Tironem dedit epist. 12. lib. XVI. ad Famil. Capua profectus est Formias a. d. III. Kal. Eo a. d. IV. Non. Febr. Tullia et Terentia venerunt. M. Tullius postridie cum fratre Capuam versus profectus est; epist. 15. et 16. lib. VII. et epist. 11. B. lib. VIII. ad Att. Capuae cum triduum fuisset, VII. Id. Febr. inde discedens se Formias recepit; epist. 19. lib. VII. et 11. B. lib. VIII. ad Att. [1] Formiis quotidie fere litteras ad Att. dedit, quae extremo libro septimo et primo octavo leguntur. Reddita interim Ciceroni est a Pompeio epist. 11. A. lib. VIII. ad Attic., qua in Apuliam evocatur: eam se XV. Kal. Mart. Formiis accepisse Pompeio rescribens ait; epist. 11. B. lib. VIII. ad Attic.; meminit epist. 1. eiusdem libri. Profectus deinde ad Pompeium cum Teanum Sidicinum venisset, ex C. Messio aliisque compluribus cognovit in iis locis esse Caesarem, ut tuto ad Pompeium venire non posset, itaque Cales progressus ibi constitit. Et cum esset incertum iter Caesaris, Leptam ad Pompeium misit et litteras; ipse Formias revertit; epist. 3. et 15. lib. VIII. ad Attic. Ibi aliquamdiu manens plures epistolas ad Atticum misit, quae lib. VIII. et IX. exstant. VIII. Kal. Mart. Pompeius Canusio Brundisium profectus est; epist. 1. lib. IX. ad Att. Eo Ciceronem vocavit missa epist. 11. C. lib. VIII. ad Att., quam Cicero accepit III. Kal. Mart. (epist. seq.) et mansit in Formiano. A. d. VII. Id. Mart. Caesar Brundisium cum legionibus sex pervenit atque ad murum castra posuit, cum iam consules Dyrrhachium profecti cum magna parte exercitus essent et Pompeius Brundisii cum cohortibus XX. remaneret; epist. 13. A. lib. IX. ad Att. et Caesar lib. I. cap. 25. de bello civili. Cicero illo tempore etiam ad Tironem scripsit epist. 13. 14. et 15. lib. XVI. ad Famil. Pompeius XVI. Kal. April. Brundisio cum omnibus copiis, quas habuerat, profectus est: Caesar postero die oppidum ingressus et concionatus Romam contendit; epist. 15. A. lib. IX. ad Att. Eo itinere M. Cicero illum

1) „Cicero ipse varie defendit, quod, cum Campanae et maritimae orae a Pompeio fuisset praefectus, Capuam tamen accipere et tenere recusavit." Tunstall Ep. pag. 155, ubi collecti sunt loci huc pertinentes.

convenit et, quid egerit, Attico scribit epist. 18. lib. IX. Cicero deinde Arpinum profectus ibi Tullio filio suo togam puram dedit; epist. 19. lib. IX. ad Att.; mansitque in villis mense Aprili et Maio atque ad Atticum misit epistolas, quae lib. X. exstant. VII. Idus Iunias ad Pompeium in Graeciam proficiscens navem conscendit; epist. 7. lib. XIV. ad Famil. *Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te;* ait ipse pro Ligario cap. 3. et nos in Commentario exposuimus. Adventus eius, ut Plutarchus cap. 38. scribit, ceteris gratus fuit: Cato autem illum conspicatus multis verbis reprehendit, quod Pompeium secutus esset: nam se non potuisse honeste eam sectam deserere, quam ab initio in re publica delegisset; illum, qui magis prodesse patriae et amicis potuerit, si in Italia mansisset et aequaliter se ad eventum comparasset, nulla ratione et sine necessitate hostem Caesari factum esse atque in tanti periculi societatem venisse. Cum haec verba Ciceronis animum flexerunt, tum quod nulla magna in re Pompeius illius opera utebatur. In causa erat ipse, non negans se facti sui poenitere. Hactenus Plutarchus. Ipse quoque epist. 3. lib. VII. ad Famil. ait: *Cuius me mei facti poenituit non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram.* Caesar in Hispaniam profectus ea potitus est, et dictator a M. Lepido praetore dictus comitia abuit, quibus ipse cum P. Servilio consul creatus est; ut scribit lib. III. de bello civili cap. 1.

Anno Urbis DCCV. Ciceronis LIX. coss. fuerunt

C. IULIUS CAESAR II., P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS.

His consulibus pridie Nonas Ian. Caesar Brundisio in Epirum contra Pompeium traiecit; lib. III. cap. 6. de bello civili. Post Nonas Febr. Cicero e Graecia ad Atticum dedit epist. 2. lib. XI. Obsesso a Caesare et circumvallato Pompeio apud Dyrrhachium, P. Dolabella ad Ciceronem misit epist. 9. lib. IX. ad Famil. Nonis Iuniis in castris fuit: e quibus ad Atticum dedit epist. 3. lib. XI. et sequentem: in qua scribit se confici sollicitudine, ex qua etiam summa infirmitas corporis consecuta sit.[1] Itaque cum Pompeius translato in Thessaliam bello apud Pharsaliam media aestate, ut Plutarchus in Bruto tradit, a Caesare victus est, Cicero in acie non fuit, ut scribit ad Paetum epist. 18. lib. IX. ad Famil., sed remansit in castris, ut Livius lib. CXI. scripsit. Unde Plutarchus in Cicerone cap. 39. ait, τῆς μάχης οὐ μετέσχε δι' ἀῤῥωστίαν, id est, *proelio propter infirmitatem corporis non interfuit.* Erant cum Cicerone M. Varro et M. Cato; lib. 1. cap. 32. de Divinat. Catonem Dyrrhachii, ut impedimentis praesidio esset, cum XV. cohortibus a Pompeio relictum fuisse Plutarchus in Pompeio et Catone auctor est. Victo Pompeio

---

1) Cfr. etiam Philipp. 2, 15, 37.

Cato (inquit Plutarchus in Cicerone cap. 39.), qui copias magnas classemque magnam Dyrrhachii habebat, ad M. Tullium, qui et lege et dignitate consulari praestaret, imperium deferebat. Quod cum ille recusaret militiamque subterfugeret, propius factum est nihil, quam ut occideretur, cum et Pompeius filius et amici eum proditorem appellarent gladiosque stringerent. Sed Cato resistens vix illum caedi eripuit et ex castris removit atque ablegavit. Haec Plutarchus. Q. Cicero lib. I. cap. 32. de Divinat. refert, Labienum ex Pharsalica fuga in castra venisse interitumque exercitus nuntiavisse, atque ita ipsos subito perterritos metu naves conscendisse. Victoriam igitur Caesaris Cicero belli finem sibi fecit: nec putavit, cum integri pares non fuissent, fractos superiores fore; epist. 3. lib. VII. ad Famil. Dio lib. XLII, 10. scribit Ciceronem cum nonnullis aliis senatoribus continuo Romam profectos esse: ipse epist. 6. lib. XI. ad Attic. ait se in Italiam venisse non arcessitum. Terentiae uxori, quae ipsi de adventu gratulata erat, pridie Non. Novembr. Brundisio rescripsit, epist. 12. lib. XIV. ad Famil. Brundisii Cicero diu moratus est Caesarem exspectans; dum is post proelium Pharsalicum in Aegyptum profectus bellum Alexandrinum gessit et Pharnacem in Ponto superavit. Brundisium item M. Antonius post victoriam cum legionibus venit et Ciceroni pepercit; quod beneficium Cicero Philippica secunda cap. 3. et 24. agnoscit. Scripsit tum Caesar ad Antonium, prohibendos omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset. Quare, cum Antonius petiisset a Cicerone per litteras, ut sibi ignosceret; facere se non posse, quin Caesaris litteris pareret: misit Cicero ad eum L. Lamiam, qui demonstraret Caesarem Dolabellae dixisse, ut ad Ciceronem scriberet, ut in Italiam quam primum veniret. Itaque Antonius edixit ita, ut M. Tullium exciperet nominatim. Hoc XIV. Kalend. Ianuar. Cicero ad Atticum scripsit epist. 7. lib. XI. Affligebat Ciceronem eodem tempore Tulliae morbus; cuius meminit epist. 6. lib. XI. ad Att. De eodem scribit ad Terentiam epist. 9. lib. XIV. ad Famil. Scribit etiam per Leptam et Trebatium epist. 17. eiusdem libri. Vide epist. 8. lib. XI. ad Atticum.

Anno Urbis DCCVI. Ciceronis LX.

C. IULIUS CAESAR II.

dictator fuit,

M. ANTONIUS

mag. equit.

Hanc dictaturam Caesar extra Italiam iniit, auctore Dione lib. XLII, 27. De Antonio magistro equitum Cicero Philipp. II. cap. 25.: *Accessit, ut Caesare ignaro, cum esset ille Alexandriae, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur.* III. Non. Ian. die natali suo M. Tullius ad Att. dedit epist. 9. lib. XI. et sequentem XII. Kal. Febr. VIII. Id. Martias ad eundem scripsit epist. 11. et 12. Romae illo tempore seditiones a P. Cornelio Dolabella trib. pl. et

Tulliae marito legem ferente de novis tabulis excitatae sunt; de quibus Livius lib. CXIII., Dio lib. XLII, 29. Hae sunt praeclarae generi actiones, de quibus Cicero epist. 12. 14. 15. et 23. lib. XI. ad Attic. Pridie Idus Maias Cicero ad Atticum dedit ep. 15. et III. Nonas Iunias sequentem eiusdem libri. Pridie Idus Iun. Tullia ad patrem Brundisium venit; ep. 11. et 15. lib. XIV. ad Fam. et ep. 17. lib. XI. ad Atticum. Constituerat eo tempore M. Tullius Ciceronem filium cum Cn. Salustio obviam Caesari mittere: sed cum de eius adventu nihil afferretur, consilium mutavit; ep. 17. et 18. lib. XI. ad Att. et ep. 11. et 15. lib. XIV. ad Famil. Pridie Idus Sextil. Cicero accepit litteras Caesaris, quas ille ex Aegypto ad eum miserat, ut esset idem, qui fuisset; ep. 24. lib. XIV. ad Famil. et pro Ligario cap. 3., ubi C. Pansam nuntium de concessis fascibus pertulisse ait. Dedit tum Cicero ad Atticum epistolas, quae extremo libro undecimo exstant. Cum Caesar ad Kal. Sept. Athenis fore diceretur, Cicero propter moras Asiaticas secus putabat; epist. 21. lib. XI. ad Att. Venit tamen in Italiam celerius omnium opinione, ut Hirtius auctor est de bell. Alex. extr. Ubi ad Ciceronem allatum est eum Tarentum navibus appulisse atque inde Brundisium pedibus contendere, obviam illi processit, non quidem valde diffidens, sed tamen veritus in tanta multitudine hostis et victoris periculum facere. Verum non fuit opus quidquam dicere aut facere praeter dignitatem. Caesar enim, ut eum longe ante alios occurrere vidit, descendit et salutavit; cumque eo solo colloquens multa stadia processit. Haec Plutarchus in Cicerone cap. 39. Kal. Octobr. Cicero ad Terentiam de Venusino dedit ep. 20. lib. XIV. ad Fam. mandans, ut in Tusculano omnia essent parata ad hospites excipiendos. Deinde in urbem venit et rediit *cum veteribus amicis*, id est, cum libris in gratiam; ep. 1. lib. IX. ad Fam. Extremo anno Q. Fufius Calenus et P. Vatinius coss. fuerunt; Dio lib. XLII, 55.

Anno Urbis DCCVII.[1] *Ciceronis LXI. coss. fuerunt*

C. IULIUS CAESAR III., M. AIMILIUS LEPIDUS.

Caesar cum ab haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, ut Cicero lib. II. cap. 24. de Divinat. ait, VI. Kal. Ian. Lilybaei conscendit ac post diem quartum in conspectum Africae venit ibique hoc anno bellum Africanum adversus P. Scipionem et Iubam Mauritaniae regem administravit; de quo Hirtius et alii. Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus praetor, ut Hirtius scribit de bell. Afr. c. 2. Misit tum ad eum in provinciam Cicero epistol. 78. et 79. lib. XIII. ad Famil. Caesar, cum ad bellum Africanum proficisceretur, M. Brutum Galliae Cisalpinae praefecit; auctor Appianus lib. II. et Cicero epist. 6. lib. VI. ad Famil. Eo tempore Cicero ad illum scripsit quinque epistolas, quae lib. XIII. ad Fam. 10—14. leguntur. Graeciae idem Caesar praefecit Ser. Sulpicium; epist. 4. lib. IV. item 1. et 6. lib. VI. ad Fam. Ad eum itidem plures Ciceronis epistolae exstant

1) *Annus confusionis*, sive potius, *annus confusionis ultimus*; dierum 445.

lib. XIII. ad Fam. Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romae nec fere exibat propter varias hominum suspiciones; quas Varroni exponit epist. 2. lib. IX. ad Fam. Fuit etiam ruri in villis; epist. 1. libri XII. ad Attic., ubi Hirtii et Balbi Caesarianorum meminit, qui hoc bello Africano Romae fuerunt, ut permultae epistolae ad familiares tum scriptae ostendunt; in quibus sunt ad Varronem et Paetum pleraeque lib. IX. ad Famil. Conquiescebat M. Tullius in studiis; epist. 6. libri IX. ad Famil. Scripsisse illum eo tempore Partitiones oratorias Corradus putat, et de Bruto, qui est de claris Oratoribus, vere affirmat, eum vivo etiamtunc Catone scriptum esse: quamvis prooemium anno sequente editum fuisse ostendat. Caesar initio mensis Aprilis, ut Hirtius scribit, Iubam et Scipionem vicit: ac paucis diebus post M. Cato sibi Uticae mortem conscivit. Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet; ait Cicero Tusculan. I. cap. 30. Africano bello confecto Caesar Idibus Iun. classem conscendit et post diem tertium in Sardiniam pervenit. Inde a. d. III. Kalend. Quint. naves conscendens duodetrigesimo die ad Urbem Romam venit; Hirtius de bell. Afr. extr. Fuerat cum Caesare in Africa P. Dolabella, ut docet Cicero Philipp. II. cap. 20.; qui cum Caesarem ab Africano bello redeuntem antecederet (epist. 7. lib. IX. ad Famil.), Cicero ei Tironem obviam misit; epist. 5. lib. XII. ad Attic. Caesari senatus multos honores decrevit; in iis, ut praefectus moribus, *τῶν τρόπων ἐπιστάτης*, per triennium esset; Dio lib. XLIII, 14. Meminit Cicero epist. 15. lib. IX. ad Famil. Erat Cicero in Urbe atque a Caesare, ut Plutarchus c. 39. scribit, honore afficiebatur, adeo ut laudi Catonis a Cicerone scriptae[1] respondens orationem eius et vitam tamquam Periclis et Theramenis maxime geminam collaudaret. Atque Ciceronis liber Cato, Caesaris Anticato inscribitur. Cicero anno sequente ad Atticum epistola 40. lib. XII. ita scripsit: *Qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit; in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.* Tribus statibus usum C. Caesarem in vituperando Catone, est apud Quintilian. lib. III. cap. 9. Caesarem in Anticatone citat Gellius lib. IV. cap. 16. C. Caesar in Anticatone priore adducitur a Prisciano lib. XIII. Iuvenalis Satyra VI. v. 338.: *Duo Caesaris Anticatones.* Cicero ep. 50. lib. XIII. ad Att. Caesaris libros contra Catonem nominat. Cremutius Cordus apud Tacitum lib. IV. Annal. cap. 34.: *M. Ciceronis libro, quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione velut apud iudices respondit?* Gellius libro XIII. cap. 18.: *M. Cato*

1) Cum Caesar rerum Africanarum iam esset potitus, heros autem ille Cato sua manu periisset, huius *laudatione*, quam Cicero scripsit, ingenii quidem sui heu! non satis diuturnum, virtutis, fortitudinis, fidei immortale monumentum exstruxit. Opus illud Attici unius hortatu Cicero aggressus est (ad Attic. 12, 4.). Tunstall Ep. pag. 159. Ceterum ad hunc ipsum annum ante auditam Catonis mortem vel ad praecedentem referunt Ciceronis *Paradoxa*. Cfr. Gernhardi Prolegg. pag. XXXVI. Res tamen prorsus incerta, cum nihil impediat, quo minus paullo ante M. Crassi interitum (a. u. c. 700. Capitol.) scribi potuerint illae declamatiunculae. Cfr. Fabricium infra in A. 709.

nepos pater fuit M. Catonis praetorii viri, qui bello civili Uticae necem sibi gladio manu sua conscivit; de cuius vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur Laus M. Catonis. Caesarem laudationem a Cicerone scriptam non aegre tulisse, sed librum sive βιβλίον τι scripsisse, ὅ καὶ Ἀντικάτων ἐκάλεσεν, ait Dio lib. XLIII, 13. Catone absoluto Cicero statim est aggressus Oratorem, ut ipse in Oratore ad M. Brutum, qui tum Galliae praeerat, scribit cap. 10. De Oratore lege ep. 18. lib. VI. ad Fam. M. Claudius Marcellus, qui ante annos quinque in consulatu Caesarem palam oppugnaverat, bello civili partes Pompeii secutus, eo victo Caesarem veterem suum inimicum metuens Mytilenas concessit ibique in studio bonarum artium hoc tempore beatissime, quantum modo natura hominis patitur, vivebat; ut ex Bruto refert Seneca in Consolatione ad Helviam cap. 9. Tum M. Tullius ad eum dedit ep. 7. et 8. lib. IV. ad Fam. hortans illum, ut Caesari se summitteret. Cum autem in senatu a L. Pisone mentio esset facta de Marcello et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus senatus consurrexit et ad Caesarem supplex accessit. Tum Caesar, accusata acerbitate Marcelli, repente praeter spem dixit se senatui roganti de Marcello ne ominis quidem causa negaturum. Itaque, cum omnes ante M. Tullium rogati gratias Caesari praeter L. Volcatium Tullum egissent, Cicero, qui statuerat in perpetuum tacere, sententiam rogatus pluribus verbis egit Caesari gratias; quae oratio pro Marcello exstat. Vide ep. 4. lib. IV. ad Fam. Cicero quoque Marcello persuasit, ut Romam redire vellet; epist. 9. 10. et 11. eiusdem libri. Hoc anno, ut Dio XLIII, 26. testatur, Caesar fastos correxit annumque ad cursum solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum esset et intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex Kalendis Ianuar. temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interiecit duos alios: fuitque hic annus XV. mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.[1] Haec Suetonius Caes. cap. 40.; lege praeterea Macrobium, Plinium, Dionem et Plutarchum. Prid. Kal. intercalares priores Tullius rogatu fratrum Q. Ligarii, qui post victos in Africa Pompeianos vita a Caesare impetrata extra Italiam in exsilio vivebat, nunc ad Caesarem venit: cumque fratres et propinqui Ligarii iacerent ad pedes, Cicero ea est locutus, quae causa, quae tempus postulabat; epist. 15. lib. VI. ad Fam. Ligarius deinde a Q. Aelio Tuberone reus factus est eiusque patrocinium Cicero suscepit. Tum Caesarem dixisse ferunt: „Quid est causae, cur Ciceronem orantem aliquamdiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum et hostem esse iampridem certum est." Ubi vero Cicero ingressus dicere mirificos motus concitavit et oratio progressa cum affectibus varia, tum venustate admirabilis fuit, perspicue cognitum aiunt varios colores Caesaris voltum subire eiusque animum omnibus modis commutari; ac tandem, cum Pharsalici proelii mentionem facere orator coepisset, immodicis perturbationibus incitatum corpore contremuisse et libellos quosdam e manu eiecisse. Victus igitur Caesar orationis

1) Vide Ideler *Handbuch der Chronologie* T. 2. p. 119. et Korbii *Tabulas.*

vi Ligarium crimine liberavit. Ita nos locum Plutarchi c. 39. de hac causa a nobis conversum in fine Commentarii Ligariani ad ornatiss. virum Gerhardum Iuliacensem iam dudum edidimus. Confecto bello Africano T. Quintius Scapula novum in Hispania commovit, cuius meminit Cicero ep. 13. lib. IX. ad Famil. Tu lege Dionem lib. XLIII. 29., ubi Cn. Pompeium Magni filium Hispaniae partes plerasque in suam dicionem redegisse tradit. Caesar igitur extremo hoc anno ad bellum Hispaniense profectus XXVII. diebus in Hispaniam pervenit, ut Appianus libro II. scribit. Hoc anno M. Tullius cum Terentia uxore divortium fecit[1]: quae Vibio Rufo deinde nupta fuit, auctore Dione lib. LVII. atque tertium et centesimum explevit annum, ut scribit Val. Max. lib. VIII. cap. 13.

Anno Urbis DCCVIII. Ciceronis LXII.

C. IULIUS CAESAR III.

dictator fuit,

M. AIMILIUS LEPIDUS

mag. equit.

Eodem anno

C. IULIUS CAESAR IV.

cos. sine collega fuit.

Haec ex Capitolinis lapidibus recte a viris doctis probantur: vide Fastos Sigonii et Onuphrii. Cicero Terentia dimissa virginem uxorem duxit: ut quidem Terentia dictitabat, formae gratia; ut autem Tiro Ciceronis libertus scripsit, divitiis eius adductus, ut aes alienum dissolveret. Erat enim puella dives et bona eius Cicero fideicommissarius heres relictus custodiebat. Quare cum permagnum aes alienum haberet, amicorum et familiarium impulsu puellam uxorem praeter aetatem duxit, ut illius facultatibus creditoribus satisfaceret. Haec Plutarchus c. 41., ut quidem nos convertimus, aliis interpretibus nihil praeiudicantes, e quibus verba illa Plutarchi, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν, quae nos vertimus, *Et bona eius Cicero fideicommissarius heres relictus custodiebat*, Bocchius sic expressit, *Et eius substantias sub tutoris fide servabat*; Xylander noster, *Eiusque bona fidei suae commissa Cicero heres ab ea scriptus servabat;* Corradus, *Et eius facultates Cicero suae*

---

1) Simultatum inter Ciceronem et Terentiam tempore ipso Ciceronis exilii causas aliquas exstitisse crediderim. Nam singulare est, quod, cum post reditum (ad Attic. IV. 1.) commemorat Cicero, qui occursus Brundisii Tulliolae suae, quae Romae gratulationes laetitiaeque omnium fuerint, nullum tamen verbum de Terentia coniuge sit, postea etiam, cum de miseris suis et prope perditis rebus narrasset, *cetera*, inquit (Ibid. ep. 2.) *quae me sollicitant*, μυστικώτερα *sunt. Amamur a fratre et a filia.* Tunstall. Ep. p. 180. Hieronymus adv. Iovinianum I. T. IV. Pars II. Opp. Ed. Martenay. per errorem, ut videtur, Terentiam Salustio nupsisse tradit.

fidei commissas, ut heres relictus, servabat. Non erat Cicero ut heres relictus neque secundus heres, ut Corradus scribit: sed Publilius sive Popilius[1] moriens Ciceronem heredem instituerat et rogaverat, ut hereditatem redderet suae filiae. Huiusmodi heredem fideicommissarium dici a iurisconsultis, etiam in Graecis Iustiniani Constitutionibus, notum est iis, qui libros illos non aspernantur. Sic P. Sextilius Rufus, heres a Q. Fabio[2] Gallo scriptus, rogatus fuit, ut omnis hereditas ad filiam perveniret; ut est lib. II. cap. 17. de Finibus. Verum ad institutum. Calenus apud Dionem lib. XLVI, 18. ait M. Tullium exacta aetate virginem duxisse, *ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀποτίσῃ, ut illius facultatibus se aere alieno liberaret.* Quintilianus lib. VI. cap. 3, 75.: *Cicero obiurgantibus, quod sexagenarius Publiliam virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit.* Lib. XII. ad Att. 32. Publilia nominatur, quam secundam Ciceronis uxorem fuisse homines docti affirmant. De his nuptiis cum Ciceroni Cn. Plancius gratulatus esset, Cicero ita respondit epist. 14. lib. IV. ad Famil.: *Quod mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita velle certo scio. Sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas quam rem publicam offendissem,* cetera. Non ita multo post, quam Cicero Publiliam duxerat, Tullia filia apud Lentulum pariens decessit, ut Plutarchus scribit c. 41. Asconius quoque in Pisonem (princip.) filiam Ciceronis apud P. Lentulum ex partu decessisse ait. Propter Tulliae partum Cicero se Romae teneri initio belli Hispaniensis scribit ad Leptam epist. 18. lib. VI. ad Fam. Lentulus, apud quem Tullia decessit, est P. Cornelius Dolabella, qui cum Caesare in Hispania erat; ut Cicero Philipp. II. cap. 30. et epistolarum ad Atticum lib. XIII. ostendit.[3] Itaque

---

1) Verior scriptura est *Publilius.*

2) Rectius *Fadio.*

3) De tota ista re satis obscura cfr. praeter Middleton Vit. Cic. T. 3. p. 218. interpr. Seidel., Tunstall. p. 182. seqq. Videndum est, Asconius Plutarchusque dicantne Tulliam decessisse, *cum Lentuli uxor erat*, an *domi* Lentuli. Equidem illud arbitror: nam Tullia in patris Tusculano videtur obiisse. Cfr. Tunstall p. 62. — Non alium a *P. Cornelio Dolabella* intelligi ab Asconio et Plutarcho, colligitur ex eorum verbis c. 41. Accedit Macrobius Sat. 2, 3., qui itidem Ciceronis generum simpliciter Lentulum appellat. Scil. Asconius p. 5. ed. Baiteri: *Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocavit, apud quem illa ex partu decessit;* et Plutarchus: *Γήμαντι δ' αὐτῷ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ· τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος τοῦ προτέρου ἀνδρὸς τελευτήν.* Sed quomodo P. Cornelius Dolabella Ciceronis gener *Lentulus* vocari potuerit, non satis liquet, cum Corneliorum Lentulorum familia patricia diversa fuerit a plebeia Corneliorum Dolabellarum; nisi vero adoptatus est a Lentulo aliquo: idque admodum probabile videtur. Pro mero errore Asconii et Plutarchi vel scriptoris, quem uterque secutus est, ideo haberi nequit, quod Cicero certe habuit *nepotem;* ad Attic. 12, 18. (ubi eius nomen non affertur): eundem autem esse cum *Lentulo puero*, quem commendat Attico ibid. Ep. 28. et 30., visum est recte, ni fallor, Corrado, Bosio, Tunstallo: quamquam Manutius de pupillo aliquo Ciceronis, non nepote, cogitat. Statim post partum certe convaluisse Tulliam demonstrat ad Famil. 6, 18. *Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus. Sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Ita tamen haec conciliari possunt cum narratione Asconii et Plutarchi atque Tunstalli opi-

deplorans Tulliae mortem ad illum scripsit epist. 11. lib. IX. ad Famil. Quanto dolore propter interitum filiae carissimae exarserit, ipse ostendit in epistolis, quas tum ad Atticum misit et exstant lib. XII. et XIII. ad Att. Undique tum philosophos ad Ciceronem consolandi gratia convenisse Plutarchus auctor est. Misit ad Tullium consolatorias litteras M. Brutus; epist. 13. et 14. lib. XII. ad Att., in Bruto cap. 3. [et epist. 9. ad Brutum.] Ser. Sulpicii consolatio exstat ep. 5. lib. IV. ad Famil., cui Cicero epist. sequente respondit. L. quoque Lucceius Ciceronem per litteras consolatus est: eique respondet epist. 13. lib. V. ad Famil. Praeterea Caesar litteras consolatorias pridie Kal. Maias Hispali dedit; ep. 20. lib. XIII. ad Att. Sed, cum omnem consolationem vinceret dolor, se ipse per litteras consolatus est scripsitque librum, quem *Consolationem* sive *de luctu minuendo* inscripsit; lib. XII, ep. 14. ad Att. Ex hoc libro Lactantius lib. I. cap. 5. et 15. et lib. III. cap. 19. multa affert. Consolationis suae meminit etiam Cicero in Tusculanis aliquoties et in secundo de Divinat. cap. 1. sic: *Nam quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum profuturam puto.* Plutarchus addit Ciceronem Publiliae nuntium remisisse, quod visa esset Tulliae morte laetari. Unde negotium, quod cum Publilio habuit, de solutione dotis fuisse videtur; lib. XIII. et XVI. ad Att. Post Tulliae mortem Cicero domo abfuit et Asturae atque in ceteris villis maximam partem anni in philosophiae studiis consumpsit. Cum enim dominatu unius omnia tenerentur, ad philosophiam, cui multum adolescens discendi causa temporis tribuerat, se rettulit et sapientiae studium longo intervallo intermissum revocavit; Tuscul. I. cap. 1. et de Offic. II. cap. 1. Quare cum, quae a Graecis summis auctoribus memoriae prodita erant, ea Latinis litteris illustrare vellet, Hortensium scripsit; quo in libro philosophiam ab Hortensio accusatam et vituperatam ipse defendit et collaudavit, ut testatur primo de Finibus cap. 1. Eiusdem mentio est Tuscul. III. cap. 3. et lib. II. cap. 1. de Divinat. his verbis: *Cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium in eo libro, qui est inscriptus Hortensius.* Huius libri lectione D. Augustinus se ad verae, hoc est, Christianae philosophiae contemplationem incensum fuisse aliquot locis fatetur. Deinde, ut est secundo de Divin. cap. 1., quod genus philosophandi minime arrogans maximeque et constans et elegans arbitraretur, quattuor Academicis libris ostendit. Scripserat autem primum duos libros Academicos, et unum Catulum, alterum Lucullum appellavit, quorum posterior adhuc exstat; de quo Plutarchus in vita Luculli: deinde quia *παρὰ τὸ πρέπον* videbatur, quod erat hominibus non ignota non illa quidem *ἀπαιδευσία*, sed in iis rebus *ἀτριψία*, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque trans-

---

nione, ut dicamus Tulliam quidem etiam post discidium factum habitasse in Dolabellae domo, ibique peperisse, ex partu convaluisse, sed paullo post in Tusculano in morbum cum incidisset, ei succubuisse. — Miram de Tullia narrationem habet Io. Baptista Pius ad Attic. 11, 17. „*Tullia*] Cuius cadaver repertum superioribus annis in collibus Albanis multis opertum odoramentis, integrum ac mille supra quingentos annos illaesum, Tulliae creditum est, quoniam inter urnas ac sepulcra Tulliorum erutum fuit."

tulit. Sed admonitus ab Attico totam illam Academicam *σύνταξιν* ab hominibus nobilissimis abstulit transtulitque ad M. Varronem et ex duobus libris contulit in quattuor; lib. XIII. ad Att. epist. 12. 13. et 16. Atque ex his quattuor libris primi tantum particula exstat.[1] Scripsit tum etiam, ut ex iisdem epistolis cognoscitur, de finibus: cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus quinque libris, ut, quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset; lib. II. cap. 1. de Divinat. Ita autem confecit quinque libros *περὶ τελῶν*, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, *περιπατητικὰ* M. Pisoni daret; epist. 19. lib. XIII. ad Att. Scripsit eodem tempore Laudationem Porciae, sororis M. Catonis et uxoris L. Domitii Ahenobarbi; epist. 37. et 48. lib. XIII. ad Att. Iam a scriptis alio transeamus. Post Tulliae mortem Tullius M. F. Athenas cum L. Tullio Montano profectus est; ep. 52. libr. XII. ad Attic. Ser. Sulpicius adhuc Achaiae praeerat atque pridie Kalend. Iun. Athenis ad Ciceronem dedit epist. 12. lib. IV. ad Fam., in qua eum certiorem facit de M. Marcello, qui a P. Magio Chilone occisus erat; Livius lib. CXV., Cicero epist. 10. lib. XIII. ad Attic. A. Torquatus eo tempore Athenis exsulabat: ad quem sunt Ciceronis epistolae lib. VI. ad Famil. In quarta epistola Servius Athenis discessisse dicitur. Caesar interim liberos Pompeii in Hispania vicit: e quibus Sextus profugit, Cnaeus prid. Id. April. interfectus est, auctore Hirtio de bello Hisp. cap. 32. et 39. Dolabella inde in Italiam profectus ad Ciceronem Maio mense venit; epist. 9. lib. XIII. ad Att. Caesar deinde in Urbem mense Octobri revertit, ut Paterculus lib. II. cap. 56. scribit. Initio eius mensis eum revertisse ex iis, quae sequuntur, disces. In triumphalibus fragmentis tabularum Capitolinarum scriptum est, Q. Fabium Maximum cos. anno DCCVIII. ex Hispania III. Id. Octobr. triumphasse. Fabius autem consul non fuit nisi post Caesaris reditum ex Hispania. Caesar enim in urbem reversus consulatu se abdicavit et in reliquum anni Q. Fabium et C. Trebonium suffecit; auctore Dione lib. XLIII, 46. Atque hi sunt consules, quos Caesarem in quarto consulatu sibi in ternos novissimos menses substituisse Suetonius Caes. cap. 76. ait. Iam Caesarem ante Q. Fabium triumphasse non modo ex Dionis historia cognoscitur, sed et a Quintiliano lib. VI. cap. 3, 61. diserte scribitur. Quae cum ita sint, considerandum, quomodo Caesar ex Hispania revertens a Cicerone tertiis Saturnalibus potuerit hospitio accipi; ut videtur significari epistola 52. lib. XIII. ad Att. Post reditum Caesaris ex Hispania Cicero apud eum dixit pro Deiotaro; quae oratio exstat. Fuerat is tetrarcha Gallograeciae paene totius et Armeniae minoris rex a senatu constitutus. Sed quia bello civili Pompeii partes secutus fuerat, Caesar Pharnace devicto eum parte tetrarchiae multaverat Armeniamque abstulerat; Cicero Philipp. II. cap. 37., Hirtius de bello Alexandrino cap. 78. Cum deinde Caesar litteris Tarracone datis eum bene sperare et bono animo esse iussisset, hoc tempore Castor, nepos Deiotari

1) De Academicis consule, quae disputavit Brandis in Museo Rhenano III. 4. p. 513.

ex filia, Philippum medicum, servum regis corruptum praemiis ad accusandum dominum Deiotarum impulit. Crimini dedit regem domi suae Caesarem interficere voluisse. Accusatum domi Caesaris Cicero hospes eius defendit causamque licet tenuem et inopem tamen scripsit atque ad Dolabellam misit; epist. 12. lib. IX. ad Famil. Extremo huius anni die Q. Fabio Maximo consule mortuo, C. Caninius Rebilus consul hora septima renuntiatus est, qui usque ad Kalend. Ian. esset; quae erant futurae mane postridie. Itaque Cicero dixit eum mirifica vigilantia fuisse, qui suo toto consulatu somnum non viderit; epist. 30. lib. VII. ad Famil., Macrobius lib. II. cap. 3. et VII. cap. 3., Pollio in libro de XXX. tyrannis cap. 8., Plinius lib. VII. cap. 53., Plutarchus in Caesare et Dio lib. XLIII. 46.

Anno Urbis DCCIX. Ciceronis LXIII. coss. fuerunt

C. IULIUS CAESAR V., M. ANTONIUS.

Eodem anno, ut monumenta vetusta ostendunt, C. Iulius Caesar dictator IV. fuit et M. Aemilius Lepidus magister equitum. Cicero post libros quinque de Finibus totidem Tusculanarum quaestionum sive disputationum edidit iisque res ad beate vivendum maxime necessarias aperuit. Primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de aegritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa contentam; lib. II. cap. 1. de Divinat. Utrum vero hi libri ad hunc, an ad superiorem annum referendi sint, nondum decerno; nec multum refert. De reliquis philosophicis libris deinceps dicemus, si prius acta urbana exposuerimus. Initio huius anni M. Tullius Romae fuit. Kalend. quidem Ianuariis affuit in senatu, cum Caesar P. Cornelium Dolabellam subrogare sibi resistente Antonio voluit; ut cognoscitur Philipp. II. cap. 32. Vide Plutarchum in Antonio. Lupercalibus, id est, XV. Kalend. Martias, cum Caesar in Rostris sedens in sella aurea, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos, Antonius unus e Lupercis ad sellam accessit et capiti eius diadema imposuit, quod Caesar cum plausu populi reiecit; Cicero Philipp. II. cap. 34., III. cap. 5. et XIII. cap. 8. Plutarchus, Appianus, Dio et alii. Idibus Mart. Caesar a coniuratis in Pompeii curia tribus et XX. plagis confossus est. Eius coniurationis, ut Plutarchus scribit, Cicero particeps non fuit, quamvis M. Bruto familiarissime uteretur. Verum, quia Caesare interfecto statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem Ciceronem nominatim exclamavit atque ei recuperatam libertatem est gratulatus, Antonius Ciceronis consilio Caesarem interfectum postea in senatu dixit; Phil. II. cap. 11. Dio lib. XLIV., 20. ait percussores Caesaris, cum e curia in forum se conferrent, crebro Ciceronem exclamasse. Receperunt illi se e foro in Capitolium eoque Cicero etiam cum aliis permultis ascendit: neque tamen adduci potuit, ut ad Antonium iret atque ad defendendam rem publicam hortaretur. Sed, cum ceteri consulares

irent, redirent, ipse in sententia mansit neque Antonium illo die neque postero vidit; ut ipse in secunda Philipp. cap. 35. testatur. Nec verum est, quod Plutarchus, Appianus, Dio et interpretes Philippicarum scribunt, postridie Idus senatum in aede Telluris habitum fuisse. Nam et in secunda Philipp. cap. iam dicto se post diem tertium in aedem Telluris venisse ait: et epist. 10. et 14. lib. XIV. ad Atticum id Liberalibus factum fuisse ostendit, id est, a. d. XVI. Kal. April. Eo die M. Tullius, quantum in ipso fuit, iecit fundamenta pacis Atheniensiumque renovavit vetus exemplum; Graecum etiam verbum usurpavit, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit; Philipp. I. cap. 1. Plura scripsi in cap. 2. lib. XII. Orosii. Habuit ibi Antonius quoque orationem de concordia, eiusque parvus filius in Capitolium missus pacis obses fuit; Philipp. I. cap. 1. et II. cap. 36. Itaque interfectores, ut Plutarchus in Bruto scribit, e Capitolio descenderunt et Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceteri apud alios coenarunt. Postero die provinciae iisdem in senatu decretae fuerunt: Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Sed, cum Caesar funere elatus et a M. Antonio laudatus esset, plebs cum facibus ad domum Bruti, Cassii et aliorum tetendit atque aegre vi manuque repulsa fuit. Quod historici prope omnes scribunt et cum illis Cicero libro XIV. ep. 10. ad Attic. et Philipp. II. cap. 36. Tum M. Brutus et Cassius urbem reliquerunt et Antium atque Lanuvium profecti diu ibi otiosi fuerunt; ut lib. XIV. et XV. ad Atticum videmus. Cicero quoque initio Aprilis ex urbe rus profectus villas suas lustravit; ut indicant epistolae illae, quae initio lib. XIV. ad Att. hoc tempore scriptae leguntur: nec quidquam eo tempore malebat, quam rusticari; epist. 23. lib. XVI. ad Famil. Haec autem rusticatio nobis dedit tres libros de Natura Deorum et duos de Divinatione et praeterea dialogum de senectute, ut puto. Quamvis enim ante libros de Divinatione sit scriptus, ut prooemium lib. II. ostendit: tamen hoc anno eum ad Atticum missum arbitror, cum is timidior πανικοῖς quibusdam commoveretur et Cicero senectutem contemneret; epist. 23. lib. XVI. ad Famil. Ante Idus Maias scriptum fuisse cognoscitur extremo lib. XIV. epistol. ad Attic. Eodem tempore Cicero, cum omnes cogitationes suas in concordia civium defixas haberet atque omnium, etiam Antonii, amicitiam retinere vellet (ep. 23. lib. XVI. ad Famil.), scripsit Laelium sive de amicitia. Romae interim a consulibus M. Antonio et P. Dolabella, qui Caesaris locum ceperat, uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat et in Liviana epitoma lib. CXVI. Chamaces, ab Appiano lib. III, 2. Ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος, a Valerio Max. lib. IX. cap. 15. Herophilus equarius medicus dicitur. De huius supplicio Attici litteras Cicero accepit XVII. Kalend. Mai.; epist. 8. lib. XIV. ad Attic. Mense Aprili et Maio Antonius Italiam percursavit; Dolabella, absente collega, bustum in foro evertit; Philipp. II. cap. 42. Plebs enim solidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro in busto Caesaris statuerat et inscripserat PARENTI PATRIAE: atque apud

eandem sacrificabat, vota suscipiebat et controversias quasdam, interposito per Caesarem iure iurando, distrahebat, ut Suetonius in Caes. cap. 85. scribit. Dio lib. XLIV., 51. βωμὸν fuisse ait, ad quam Caesari plebs sacrificia fecerit. Ara nominatur item alibi; epist. 2. lib. XI. ad Famil. Cicero columnam vocat, quam Dolabella sustulit et homines seditiosos, qui illam eversionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de saxo deiecit; epist. 15. lib. XIV. ad Attic. et Philipp. I. cap. 2. Meminit eiusdem rei Lactantius lib. I. cap. 15., ubi ait Dolabellam Caesaris columnam, id est, titulum, evertisse. De hoc facto gratulatur Cicero Dolabellae consuli epistola 14. libri IX. ad Famil. C. Octavius, qui deinceps imperium tenuit et Augustus dictus est, cum Caesar, eius avunculus magnus, Romae interficeretur, Apolloniae erat. Factus autem certior de Caesaris caede in Italiam transiit et Neapolim venit XIV. Kalend. Mai.; epist. 10. lib. XIV. ad Attic. Fuit etiam ruri cum Cicerone perhonorifice et amice; epistola 12. eiusdem libri. Romam cum venisset, ab Antonio cos. superbe exceptus est. Adiit tum invidiosam Caesaris hereditatem, quamvis id neque Atiae matri neque L. Marcio Philippo vitrico placeret; quod cum aliis historicis Velleius lib. II. cap. 60. et Suetonius Aug. cap. 8. scribunt. Adita hereditate Caesaris nomen quoque eius tulit; cumque prius C. Octavius nominaretur, deinceps C. Iulius Caesar Octavianus de more dictus est. Quamquam lex curiata de adoptione eius anno demum sequente, cum iam consul esset, perlata fuit, auctore Dione lib. XLVI, 47. Itaque Cicero eum modo Octavianum modo Octavium nominat. *Deinde aperte* (inquit Velleius) *Antonii ac Dolabellae consulum erupit furor. Sestertium septies millies depositum a C. Caesare ad aedem Opis occupatum est ab Antonio.* Hinc Cicero in Philipp. II. cap. 38.: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat?* Mentionem eiusdem pecuniae facit Philippica I. cap. 7. et V. cap. 4. et epist. 14. lib. XIV. ad Attic. *Rapinas*, inquit, *scribis ad Opis fieri.* Quibus in villis et locis M. Cicero mensem Aprilem et Maium rusticando posuerit, epistolae lib. XIV. ad Att. demonstrant, quas illis mensibus scripsit. Hoc quoque ex iisdem et ex ep. 1. lib. XV. cognoscitur, A. Hirtium cos. designatum mense Maio cum Cicerone in Puteolano fuisse. Ibi tum sermonem de Fato habitum fuisse ipse initio libri de Fato testatur. De Timaeo Platonis, qui liber de Universitate inscribitur, certo sciri non potest, quo tempore scriptus fuerit: quare in Corradi coniecturam, cui liber ille temporibus hisce videtur conversus, non invitus descendo; cum praesertim constet, Ciceronem, nisi extremo hoc tempore, Graecos scriptores non vertisse.[1] Vide prooemium lib. I. de Fin. Extremo mense Maio Tullius Romam versus proficiscens, ut Kalend. Iuniis in senatu, sicut Antonius edixerat, adesset, scripsit epistolas, quae initio lib. XV. ad Atticum leguntur. Kalendis, cum Antonius Romam se, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis rettulisset, senatores metu perterriti repente diffugerunt; Philipp. II. cap. 42. III. Nonas igitur Cicero ab

1) Academicis iamiam editis Timaeum a Cicerone in Latinum conversum esse constat ex eiusdem prologo.

urbe abfuit; epist. 9. libr. XV. ad Attic. nec in urbem rediisse nisi pridie Kalend. Septembr. videtur. Eo tempore de Officiis scribere aggressus est; epist. 13. lib. XV. ad Attic.; sed post reditum e cursu Achaico absolvit. Hoc vero tempore, cum haberet ius legationis liberae, ea mente iter in Graeciam ingressus est, ut Romae adesset Kalend. Ianuariis, quibus Hirtius et Pansa consulatum erant inituri; Philipp. I. cap. 2. et in Cicerone Plutarchus c. 43. VI. Nonas Quintil. ex Arpinati scribens Attico epistolam 26. lib. XV. ait se itinera sic composuisse, ut Nonis Puteolis esset, sicut fuit; epist. 1. lib. XVI. ad Attic. Cum autem Brundisium iterque illud, quod tritum in Graeciam est, Cicero vitaret, ut ait Philipp. I., cap. 3., Veliae fuit XIII. Kal. Sext.; epist. 20. lib. VII. ad Famil.; eumque diem ibi constitit; epist. 6. lib. XVI. ad Att. Velia proficiscens Topica ad Trebatium, cum secum libros non haberet, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsit et Rhegio librum ad Trebatium misit V. Kal. Sext.; epist. 19. lib. VII. ad Fam. et in prooemio Topicorum. Miserat etiam paullo ante ad Atticum duos libros de Gloria; epist. 27. lib. XV. et 6. lib. XVI. ad Att. Meminit horum librorum ipse lib. II. cap. 9. de Officiis et Gellius lib. XV. cap. 6. Scribit in epistolis Franciscus Petrarcha se hos libros habuisse; qui iam nusquam apparent. Cicero deinde in Siciliam transgressus Kal. Sext. venit Syracusas. Cum autem postero die venti ipsum ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, detulissent, ab eo loco conscendit, ut transmitteret, et stadia circiter CCC. provectus, reiectus Austro vehemente est ad eandem Leucopetram. Cumque intempesta nox esset mansissetque in villa P. Valerii comitis et familiaris sui postridieque apud eundem ventum exspectans maneret, Rhegini quidam illustres eo venerunt Roma, qui summam spem nuntiabant fore, ut Antonius cederet, res conveniret, Caesaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam Ciceronem desiderari et subaccusari. Quae cum audisset, sine ulla dubitatione abiecit consilium profectionis; itaque celeriter Veliam devectus convenit Brutum, qui cedens Italia cum suis navibus erat apud Haletem fluvium circa Veliam; Philippica prima, cap. 3. seq. et epist. 7. lib. XVI. ad Attic. Inde ventis remisque in patriam omni festinatione properavit; epist. 25. lib. XII. ad Famil. Accedenti ad urbem tanta multitudo, ut Plutarchus c. 43. scribit, obviam processit, ut, dum ad portas ingredientem excipiunt adventumque gratulantur, dies fere consumptus fuerit. Videtur autem veri similius, eum pridie Kalend. Septembr. Romam revertisse, quod Plutarchi narratio ostendit, quam Kalendis, ut ipse significare videtur epist. 25. lib. XII. ad Famil. Kalendis Septembr. Antonius senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis et Ciceronem in curiam vocavit; qui cum e via langueret et sibimet displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret; Philipp. I. cap. 5. et V. cap. 7. Plutarchus ait Ciceronem languoris causam opposuisse, cum reapse insidias metuere ex quadam suspicione et indicio, quod inter viam ei factum erat, videretur. Antonius id aegre ferens palam in senatu, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum dixit; Philipp. I. cap. 5. et V. cap. 7. Plutarchus scribit Antonium

milites misisse, quos Ciceronem adducere vel domum eius incendere iusserit: sed, cum multi intercederent et deprecarentur, pignoribus captis quievisse. Venit postridie in senatum Cicero, cum Antonius non venisset: locutumque se de re publica minus quidem libere quam sua consuetudo, liberius tamen quam pericula minaeque postulabant, ait Philippica V. cap. 7. At epist. 25. lib. XII. ad Famil. scribit se postridie in summa reliquorum servitute liberum unum fuisse. Habuit tum in senatu primam orationem Philippicam, in qua primum itionis et reditionis suae causam exponit; deinde de Antonii iniuria et Caesaris actis disputat; ad extremum Antonium et Dolabellam coss. ad rem publicam moderate regendam cohortatur. Tum Antonius ira incensus inimicitias Ciceroni denuntiavit atque adesse in senatu iussit XIII. Kal. Octobr. Ipse interea septemdecim dies de Cicerone in Tiburtino Scipionis declamitavit et XIII. Kalend. agmine quadrato in aedem Concordiae venit atque in Ciceronem absentem orationem ex ore impurissimo evomuit omnibusque visus fuit suo more vomere, non dicere. Ciceroni autem cupienti in senatum venire per amicos non licuit eo, quod Antonius a Cicerone caedis initium quaereret facturusque putaretur; Philipp. III. cap. 12. et V. cap. 7. et epist. 25. lib. XII. ad Famil. Antonio M. Tullius respondit scripta nobili et divina, ut Iuvenalis ait Sat. X. v. 125., Philippica secunda: in qua primum crimina sibi obiecta refutat et deinde totam Antonii vitam a pueritia exorsus reprehendit. Nec verum est, quod interpretes ad unum omnes putarunt, Ciceronem illam orationem in senatu praesente Antonio habuisse; sed ita Cicero eam scripsit, quasi in praesentem Antonium XIII. Kal. Octobr. habita esset. Argumento sunt verba illa cap. 43.: *Quaero deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores: nescis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse?* Quartum diem ludorum Rom. in circo fuisse XIV. Kalend. Octobr. ex Calendario vetere notum est. Antonius deinde obviam profectus est legionibus quattuor, quae in Macedoniam a Caesare missae post eius caedem in Italiam reverterunt, ut eas pecunia sibi conciliaret et ad urbem vel potius in urbem adduceret, Brundisiumque venit VII. Idus Octobr.; epist. 23. lib. XII. ad Famil. et Philipp. V. cap. 8. Profecto Antonio Octavianus primum a Calatia, mox a Casilino veteranos paternos excivit: quorum exemplum secuti alii brevi in formam iusti exercitus coiere; Velleius lib. II. cap. 61., Cicero epist. 8. lib. XVI. ad Attic. Cum autem Antonius Brundisii militibus centenas drachmas promitteret, fortissimae legiones eius promissis reclamarunt et congiarium hoc accipere noluerunt. Itaque centuriones domum ad se venire iussit eosque ante pedes suos uxorisque suae iugulari coëgit; Cicero Philipp. III. cap. 2. et 4., V. cap. 8. et XIII. cap. 8. et epist. 8. lib. XVI. ad Att., Dio lib. XLV, 13., Appianus lib. III. Cicero tum rusticabatur atque libros de Officiis perficiebat, ut cognoscitur epist. 8. et sequentibus lib. XVI. ad Att. Sunt etiam, qui eo tempore Paradoxa scripta fuisse existiment, quod secundo paradoxo in Antonium invehi videatur, quamvis in prooemio de Catone quasi vivo loquatur. Antonius, cum edixisset, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kalend. Decembr. eumque diem obire neglexisset,

in ante diem quartum Kalend. distulit, adesse in Capitolio iussit. Quo cum de legione Martia et quarta, quae relicto Antonio ad Caesarem Octavianum transierant, nuntius esset allatus, mente concidit et paludatus in Galliam citeriorem, quam a populo obtinuerat, cum ea D. Bruti provincia esset, properavit; Dio, Appianus, Velleius, Cicero ipse Philippica tertia (cap. 8. et 9.) et sequentibus. Sed Antonium Brutus provincia exclusit atque exercitu obsistens edictum proposuit, quo promittebat se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Rom. potestate; Philipp. III. cap. 4. et 15. Quare cum Cicero V. Idus Decembr. Romam venisset, ut scribit epist. 5. lib. XI. ad Famil., tribuni pleb. edixerunt, ut senatus adesset a. d. XIV. Kal. Ian. Statuerat Cicero ante Kalendas Ianuar. in senatum non venire: sed cum eo die ipso edictum D. Bruti propositum esset, mane in senatum venit. Quod ubi est animadversum, frequentissimi senatores convenerunt; ep. 6. lib. IX. ad Famil. Rettulerunt tribuni pleb. ad senatum de praesidio consulum designatorum Pansae et Hirtii, ut senatus Kalendis Ianuariis tuto haberi sententiaeque de summa re publica libere dici possent. Tum M. Tullius rogatus sententiam censuit, ut et praesidium decerneretur, et, quae Octavianus Caesar egisset, publica auctoritate confirmarentur, et milites, qui ab Antonio ad Caesarem transissent, praemiis afficerentur: item ut D. Brutus ceterique provincias suas retinerent neque cuiquam traderent, nisi qui ex S. C. successisset. Quam sententiam Cicero Philippica tertia complexus est; factoque S. C. in eius sententiam, progressus in concionem, quid in senatu actum esset, populo exposuit; quae est Philippica quarta. Huius S. C. meminit etiam Dio lib. XLV. 15.

Anno Urbis DCCX. Ciceronis LXIV. coss. fuerunt

C. VIBIUS PANSA, A. HIRTIUS.

Kalendis Ianuariis consules statim post sollemnem religionem senatum in Capitolio de Antonio, qui tum Mutinam circumsedebat et D. Brutum oppugnabat, habuerunt; ut Appianus lib. III, 50. scribit. Ibi L. Piso et alii nonnulli mitiorem sententiam de Antonio dixerunt legatosque ad eum mittendos censuerunt. Cicero cum suis id egit, ut hostis Antonius iudicaretur. Habuit tum Cicero in senatu quintam Philippicam, in qua non modo legationem dissuadet, verum etiam bello Antonium persequendum esse censet; agit etiam de honoribus decernendis iis, qui rem publicam adversus Antonium defendant. Eo die nihil in senatu confectum est: sed controversia usque ad noctem ducta senatum esse dimissum Appianus scribit. Postridie Antonius hostis, ita ut Tullius censuerat, iudicatus fuisset, nisi Salvius tribunus pleb. intercessisset: decrevit tamen senatus, ut D. Brutus laudaretur, quod Galliam Antonio non concessisset; item, ut Caesar una cum Hirtio et Pansa exercitu illo, quem haberet, bellum administraret atque statua illi poneretur, ut sententiam loco consulari diceret consulatumque decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret, quantam-

que pecuniam militibus earum legionum, quae Antonium reliquissent, parta victoria pollicitus esset, tanta publice daretur. Haec Appianus lib. III, 51., ubi addit insequente die fuisse decretos legatos ad Antonium cum mandatis, quae Ciceronem scribere senatus voluerit. Dio lib. XLV. et XLVI, 29. eadem fere narrat, et senatum a Kalendis Ianuar. per triduum habitum sententiasque dictas et tandem legationem ad Antonium missam fuisse ait. Itaque pridie Nonas Ianuar. factum senatus consultum fuit, ut Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur: quam rem M. Tullius eodem die in concione exposuit habita oratione, quam sexta Philippica comprehendit: de legatis vide epist. 8. lib. XI, 4. et 24. libri XII. ad Famil. Cum legati ad Antonium missi exspectarentur eiusque amici responsa illius confingerent, M. Tullius metuens, ne senatorum animi ad pacem inclinarent, habuit in senatu Philippicam septimam, in qua pacem tribus de causis dissuadet: primum, quia sit turpis, deinde, quia periculosa, postremo, quia esse non possit. In legatione Ser. Sulpicius mortem obiit. Piso et Philippus Romam reversi ab Antonio ad senatum intolerabilia postulata rettulerunt; ep. 4. lib. XII. ad Famil., Dio lib. XLVI, 30. Tumultus interim a senatu fuit decretus, cum belli nomen in sententia poni quibusdam non placeret: id quod Cicero Philippica octava reprehendit, quam ante Idus Martias in senatu dixit, graviter invehens in Q. Fufium Calenum, qui Antonio studebat. Deinde, cum de ornando Ser. Sulpicio in senatu ageretur, Cicero nonam Philippicam dixit, suadens, ut Sulpicio statua pedestris aenea in Rostris poneretur, quam sua aetate pro Rostris Augusti exstitisse Pomponius de Origine iuris testatur. M. Brutus anno superiore ex Italia in Graeciam profectus cum Athenas venisset, adolescentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium causa erat, sibi adiunxit: in his fuit M. Ciceronis filius, quem Brutus, ut Plutarchus scribit, summis laudibus efferebat, inquiens se illum, sive vigilaret, sive dormiret, admirari, quod animus in eo tam generosus tantumque odium tyrannorum esset. Brutus inde in Macedoniam transgressus Ciceronem filium secum duxit eoque legato usus multa feliciter gessit; ut Plutarchus in Bruto testatur. Et Brutus [1] in epistola ad Ciceronem patrem, quae nunc est quarta libri, qui ad Brutum exstat, ita scribit: *Cicero filius tuus sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius.* Ut vel hinc eorum imperitia (ne quid gravius dicam) arguatur, qui verum esse non putant, quod Cicero lib. II. cap. 13. de Officiis ait, filium bello civili

1) Id est, Pseudobrutus. Omnia autem, quae ex ficticiis Epp. afferuntur, admodum dubia censenda sunt, atque ducibus in primis Tunstallo et Marklando probe examinanda; quod monendum maxime propter Middletonum duxi, qui in his Ciceronis ultimis temporibus caecam fidem illis tribuit. Ceterum subditicias illas epistolas conscriptas esse ab adulatore aliquo Messalae Corvini, qualis fuit ille, qui composuit Panegyricum Tibullo volgo attributum, manifestum fit ex Ep. 15. *Messalam habes.* Nam sine causa profecto veterator ille nunquam tot tantisque laudibus cumulasset Messalam, nisi gratum illi fore sperasset ita a Cicerone scilicet se dilaudatum esse.

a Pompeio alae alteri praefectum magnam laudem et a summo viro et ab exercitu consecutum fuisse equitando, iaculando, omni militari labore tolerando. Sed ad propositum. Venit M. Brutus in Macedoniam, cum Q. Hortensio decedenti C. Antonius Marci frater succederet. Sed Hortensius exercitum, quem delectu habito conscripserat, Bruto tradidit. Legio etiam, quam L. Piso legatus Antonii ducebat, Ciceroni filio se tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum quaestorem, a quo ducebatur, reliquit in Thessalia seseque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cnaeus Domitius adolescens a legato Syriaco, qui a Plutarcho Cinna vocatur, abduxit. P. Vatinius, qui Dyrrhachium occupaverat, portas Bruto aperuit et exercitum tradidit. C. Antonius se Apolloniam recepit; Cicero Philipp. X. cap. 5. et 6., Plutarchus in Bruto et Dio lib. XLVII, 20. seqq. His de rebus Brutus litteras publice misit, quas C. Pansa consul coacto senatu recitavit et Brutum oratione sua ornavit. Sed Q. Fufius rogatus sententiam Brutum oppugnavit. Contra quem Cicero tum Philippicam decimam dixit; quam Brutus epist. 4. de litteris suis habitam esse contra Calenum ait. Erat Apolloniae adhuc C. Antonius cum septem cohortibus; Philippica X. cap. 7. Inde Buthrotum contendens in itinere primum tres cohortes amisit, quas Brutus concidit: deinde proelio cum Cicerone filio ad Byllidem commisso victus in Bruti potestatem venit; ut Plutarchus in Bruto scribit. Antonium Brutus secum diu honorifice habuit usque eo, ut magistratus insignia illi non adimeret: quam eius clementiam Cicero [1] in epistolis ad eum scriptis saepe accusat. Sed, cum Antonius Apolloniam teneret, ante Kalend. Apriles Romam allatum fuit de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnae, verberibus ac tormentis, quaestione publicae pecuniae per biduum habita, interfecit; Cicero Philipp. undecima cap. 2. et Dio XLVII, 29. Itaque Dolabella a senatu hostis iudicatus fuit. Postridie cum in senatu ageretur de imperatore deligendo, qui bello Dolabellam persequeretur, L. Caesar censuit P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandandum esse; aliis nonnullis placuit, ut consules Dolabellae persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur. Cicero sententiam rogatus Philippicam undecimam dixit. In qua primum Trebonii casum deplorans Dolabellae et Antonii crudelitatem accusat: deinde duabus illis sententiis refutatis censet, ut Dolabellam C. Cassius bello persequatur. Quam sententiam se repugnante et irascente Pansa dixisse ad Brutum scribit epist. 5. Ea sententia dicta, quae facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset, productus fuit in concionem a tribuno pleb. M. Servilio, eandemque rem ad populum summa contentione egit; epist. 7. lib. XII. ad Famil. Extremo anno superiore turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero ante cellam Minervae pridie, quam in exsilium iret, posuerat, dissipatum membris pronum iacuit fractis humeris, brachiis, capite, mortem Ciceroni portendens; ut Obsequens cap. 128. et Dio lib. XLV, 17. scribunt. Quinquatribus, id est XIV. Kal. Apr., senatus decrevit, ut haec Ciceronis

1) Id est, Pseudocicero.

Minerva, custos urbis, restitueretur; epist. 25. lib. XII. ad Famil. Deinde illata pacis mentione ab Antonii amicis senatus legatos ad eum decrevit M. Ciceronem et P. Servilium. Sed, cum eam legationem frustra fore Cicero videret, habuit in senatu Philippicam duodecimam, in qua legationem dissuadet seque ad eam obeundam idoneum non esse demonstrat. Meminit huius legationis Dio quoque lib. XLVI, 32. Pansa deinde initio mensis Aprilis, ut arbitror, ad bellum profecto, M. Aemilius Lepidus (qui, auctore Paterculo lib. II. cap. 63. pontifex max. in C. Caesaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur) Romam ad senatum misit, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans. Ea de re cum in senatu ageretur, multi pacem suaserunt, quod incertus exitus belli esset et quod Lepidus ad pacem hortaretur, qui exercitu cogere posset. Tum M. Tullius rogatus sententiam Philippicam XIII. in senatu dixit: in qua adversariorum rationes confutans pacem cum Antonio et Antonianis esse non posse docet et Antonii animum ex litteris ad Hirtium et Octavianum missis declarat. Cicero tum quoque ad Lepidum misit epist. 27. lib. X. ad Famil., in qua illum, ne se in istam pacificationem interponat, hortatur. Post profectionem Pansae consulis turbulentissimum tempus fuit, cum D. Brutus Mutinae vix iam sustineret. Itaque cum tristis a Mutina fama manaret, omnesque aut foedissimam mortem aut miserabilem fugam cogitarent, inflati laetitia atque insolentia impii cives famam dissipaverunt, Ciceronem pridie Vinalia cum fascibus descensurum esse. Interim XVII. Kalend. Maias, ut Galba ad Ciceronem scribit epist. 30. lib. X. ad Famil., seu, ut Ovidius lib. IV., v. 627. Fast. indicat, XVIII. Kalend. Maias, Antonius proelio ad Mutinam superatus est. Habuit paucis diebus post concionem Romae P. Appuleius tribunus pleb., in qua cum liberare Ciceronem suspicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit nihil esse a M. Tullio unquam de re publica nisi optime cogitatum. Duabus tribusve horis post optatissimi nuntii et litterae de victoria Mutinensi venerunt. Quo tempore tantae multitudinis, quantam Urbs capiebat, ad Ciceronem concursus est factus; a qua ille maximo clamore atque plausu in Capitolium deductus et in Rostris collocatus domum inde reductus est. Haec sunt apud Ciceronem Philipp. XIV. cap. 6., ep. 2. 6. et 7. ad Brut. et epist. 30. lib. X. et 6. lib. XII. ad Famil. Pridie Vinalia, id est, X. Kalend. Maias, Cicero habuit Philippicam decimam quartam. In qua supplicationem dierum quinquaginta trium imperatorum Pansae, Hirtii et Caesaris nomine ob Antonium hostem superatum decernit: atque ad extremum eos, qui in proelio ceciderant, laudat eorumque proximos consolatur. De supplicatione L. dierum vide Appianum lib. III, 74. Cum Hirtius in proelio cecidisset et Pansa ex volneribus paucis diebus post Bononiae mortuus esset, rumor percrebuit, Ciceronem cos. factum esse; epist. 8. ad Brut. Plutarchus et Appianus III, 82. scribunt M. Tullium ab Octaviano ad consulatus petitionem inductum fuisse. V. Kalend. Maias senatus habitus fuit de iis, qui hostes iudicati erant, bello persequendis; epist. 9. ad Brut. Dedit eo tempore Cicero plures litteras ad D. Brutum et L. Plancum, ut

suum Antonium persequerentur; quae libro X. et XI. ad Famil. exstant. Interim Antonius fuga transgressus Alpes primo spe colloquii repulsus a M. Lepido, mox saepius in conspectum veniens militum per aversa castrorum proruto vallo a militibus receptus est; Paterculus lib. II. cap. 63., Plutarchus in Antonio, Appianus lib. III, 83. Lepidus se cum Antonio coniunxit a. d. IV. Kalend. Iun.; epist. 23. lib. X. ad Famil. Pridie Kalend. Quintil. Lepidus sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est ceterique, qui una cum illo a re publica defecerant: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kalend. Septembr. potestas facta fuit; epist. 10. lib. XII. ad Famil., epist. 16. et 19. ad Brut. et Dio lib. XLVI, 51. Octavianus Caesar, ut cognovit Antonium a Lepido receptum ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque iactassent; Suetonius in Augusto cap. 12., Paterculus lib. II. cap. 62., Brutus epist. 20. lib. XI. ad Famil. Tum inter eum et Antonium commercia epistolarum et conditionum facta mentio; quod Paterculus scribit. Cumque effecisset, ut milites inter se iure iurando sancirent, cum nullo exercitu, qui C. Caesaris fuisset, bellum se gesturos, quadringentos milites Romam ad senatum misit, qui consulatum sibi nomine exercitus deposcerent: cum quidem cunctante senatu Cornelius centurio, princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: *Hic faciet, si non feceritis vos*; Suetonius Aug. cap. 26. et Dio libro XLVI, 43., ubi addit, Ciceronem subiecisse: *Si ita consulatum petieritis, eum accipiet.* Militibus re infecta ad Octavianum reversis, Antonium et Lepidum in Italiam arcessivit atque ipse legiones ad urbem hostiliter admovit; Suetonius, Dio et Appianus, qui scribit [1] Ciceronem tum ad Octavianum venisse ac paullo post lectica ex Urbe fugisse. C. autem Caesar Octavianus consul cum Q. Pedio statim factus est, ut omnes annales testantur. Consulatum Caesarem iniisse pridie, quam XX. annos impleret, X. Kalend. Octobres, Paterculus lib. II. cap. 65. auctor est. In Liviana epitoma lib. CXIX. legitur Caesarem consulem creatum esse, cum annos XIX. haberet. Plutarchus in Bruto ex Octaviani commentariis refert ipsum vigesimum annum egisse, cum consul primum est factus. Eutropius initio libri VII. ait Caesarem Romam cum exercitu profectum extorsisse, ut sibi vi-

1) B. C. III, 92. Cum Octavius, relicto exercitu ultra collem Quirinalem, urbem intrasset, *Κικέρων τῶν σπονδῶν πυθόμενος ἔπραξε διὰ τῶν Καίσαρος φίλων ἐντυχεῖν αὐτῷ καὶ ἐντυχὼν ἀπελογεῖτο καὶ τὴν εἰσήγησιν τῆς ὑπατείας ὑπερεπῄνει, ἣν αὐτὸς ἐν τῇ βουλῇ πρότερον εἰσηγήσατο. Ὁ δὲ τοσοῦτον ἀπεκρίνατο ἐπισκώπτων, ὅτι τῶν φίλων αὐτῷ τελευταῖος ἐντυγχάνοι. Νυκτὸς δ᾽ ἄφνω δόξης γενομένης, ὅτι δύο τέλη Καίσαρος, τό τε Ἄρειον καὶ τὸ τέταρτον, μεταθοῖτο εἰς τὴν πόλιν ὡς δι᾽ ἐνέδρας ἐπὶ τὴν πατρίδα ἐπαχθέντα, οἱ στρατηγοὶ καὶ ἡ βουλὴ πάμπαν ἀταλαιπώρως ἐπίστευσαν, καίπερ ὄντος ἐγγυτάτω τοῦ στρατοῦ. — — — ἥ τε βουλὴ νυκτὸς ἐς τὸ βουλευτήριον συνέθεον, Κικέρωνος ἐπὶ ταῖς θύραις αὐτοὺς δεξιουμένου. ψευδοῦς δὲ τῆς δόξης φανείσης ἐν φορείῳ διέφυγεν.* Etsi Appianus ubique iniquior est in Ciceronem, haec vel refutanda erant vel saltem tangenda a Middletono.

gesimo anno consulatus daretur. Suetonius in Augusto cap. 31. scribit eum in ordinatione anni Sextilem mensem e suo cognomine nuncupasse, quod eo sibi et primus consulatus et insignes victoriae obtigissent. Similiter Dio lib. LVI. tradit Octavianum XIX. die Augusti, eodem, quo primum consulatum ceperat, decessisse. Caesar Octavianus cos. legem tulit de quaestione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset; Livius lib. CXX., Appianus lib. III, 95., Dio lib. XLVI, 48. Auctor legis fuit Octavianus, tulit Q. Pedius collega: unde lex Pedia nominatur; eaque omnibus, qui Iulium Caesarem interfecerant, aqua ignique interdictum est; Velleius lib. II. cap. 69., Suetonius in Nerone cap. 3. Consul factus Octavianus Ciceronem, ut Plutarchus in eius vita cap. 46. scribit, valere iussit,[1] et pace cum Antonio Lepidoque facta copias omnes in unum locum contraxerunt ibique imperium Romanum quasi possessionem aliquam inter se diviserunt. Partiti sunt autem provincias inter se hoc modo, ut Caesar utramque Africam cum Sicilia et Sardinia, Lepidus Hispanias et Galliam Narbonensem, Antonius reliquas Gallias haberet; Appianus lib. IV, 2., Dio lib. XLVI, 55. Inter hos etiam convenit, ut ipsi triumviri rei publicae constituendae per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberet: in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, ut est in Livii epitoma libr. CXX. Tu vide Orosium nostrum lib. VI. cap. 18. Caesarem restitisse aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuisse Tranquillus Aug. cap. 27. ait. Maximam vero contentionem, inquit Plutarchus, Ciceronis proscriptio praebuit, cum Antonius nullam conditionem acciperet, nisi primus ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, Caesar utrique repugnaret. Congressus horum trium occultus in triduum fuit apud Bononiam, in loco remoto a castris et flumine circumfuso; ut Plutarchus non solum in Cicerone, sed et in Antonio tradit. Dio quoque lib. XLVI, 55. scribit triumviros convenisse in parva insula fluminis, quod Bononiam praeterlabitur.[2] Appianus initio libri quarti cap. 2. ait eos congressos esse ad Mutinam in Lavinii fluvii insula. Sed triumvirorum copias ad Bononiam contractas fuisse Suetonius etiam in Augusto cap. 96. auctor est, et Florus cap. 5. lib. IV. tradit pacem inter tres duces factam apud confluentes inter Perusiam et Bononiam. Ibi aiunt Caesarem primis diebus, ut Plutarchus narrat, pro Ciceronis salute cum ceteris concertasse ac tertio demum die concessisse eiusque vitam prodidisse. Fuitque permutatio ita facta: Ciceronem Caesar, L. Paullum fratrem Lepidus, L. Caesarem avunculum Antonius proscribi permisit. *Sed nihil*, inquit Paterculus lib. II. cap. 66., *tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est.* Cesserat ille sub adventum triumvirorum Urbe, ut ex Livio Seneca lib. I. Suasoriarum 7. refert, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se quam Caesari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat: inde transversis itine-

1) *Κικέρωνα μὲν εἴασε χαίρειν.*
2) Hodie *Reno.*

ribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus proficisceretur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi rettulissent, modo ipse iactationem navis caeco volvente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit; regressusque ad superiorem villam, quae paullo plus mille passibus a mari abest, *Moriar*, inquit, *in patria saepe servata*. Hactenus Livius; Plutarchus vero ita: Erat Cicero in Tusculano cum Quinto fratre; cognita vero proscriptione Asturam in maritimum Ciceronis fundum proficisci atque inde in Macedoniam ad M. Brutum, de cuius victoria laeti rumores afferebantur, transire constituerunt. Ferebantur lecticis confecti maerore atque in itinere subsistentes iunctis lecticis inter se casum suum deplorabant. Quintus vero magis angebatur animo atque inopiae illi in mentem veniebat; nihil enim secum se domo extulisse dicebat; Marco etiam perexiguum viaticum erat: satius igitur esse affirmabat, Marcum fuga antecedere, se convasatum domum recurrere. Hoc consilio probato complexi inter se multisque lacrimis profusis digressi sunt. Quintus non ita multis diebus post a servis proditus inquisitoribus una cum filio suo interfectus est. Ita quidem de Q. Cicerone Plutarchus; Appianus IV, 19. in hanc sententiam: Q. Cicero cum filio comprehensus percussores orabat, ut se ante filium necarent: quod cum filius contra fieri obsecraret, illi se eorum controversiam composituros dixerunt; itaque alii hunc, alii illum arripientes eodem signo ambos simul occiderunt. Dio lib. XLVII, 10. et 11. ita: Q. Ciceronem filius de medio removit et, quantum in ipso fuit, servavit. Nam et patrem occultavit, ut inveniri non posset, et ea de causa tormentis omnibus excruciatus indicium nullum fecit; sed pater re intellecta, cum admiratione filii, tum misericordia adductus, ultro prodiit seque ipse percussoribus tradidit. Redeamus nunc ad Plutarchum cap. 47. Cicero, inquit ille, Asturam delatus, navem, quam nactus fuit, subito conscendit et oram legens Circaeum usque vento pervenit. Inde solvere [1] gubernatores cum pararent, vel maris metu permotus vel Caesaris fidem non plane desperans in terram egressus est: et milia passuum XIII. fere pedibus Romam versus progressus, animi pendere coepit sententiaque mutata rursus ad mare descendit ibique noctem gravibus et incertis cogitationibus traduxit; adeo, ut in animo haberet Caesaris domum clam ingredi sibique ante lares eius manus inferre atque ita furiales intemperias illi impingere (ἀλάστορα προσβαλεῖν). Sed ab ea ratione cruciatus metu depulsus, alia rursus tumultuosa consilia in pectus instituit; et servis se ad Caietam deportandum navigio commisit, ubi praedia habebat et blandum aestate Etesiarum diebus perfugium. Est ibidem supra mare sacellum Apollinis, unde corvi cum clangore ad Ciceronis navem, quae ad litus appellebatur, confertim advolarunt atque ex utraque parte antennae insidentes partim crocita-

1) Ex Plutarchi verbis non patet eum appulisse litori vel portui Circeiensi, ut hactenus oram legens et perveniens rursus solvere inde debuerit; sed oram legens venit e regione Circeiorum, ut maneret navigans; verum inde omissa ora altius mare intrare statuebant nautae: ἐκεῖθεν δὲ βουλομένων εὐθὺς αἴρειν τῶν κυβερνητῶν. Illud εὐθὺς nec Fabricius nec interpres Plutarchi intellexit. Gaor.

runt, partim rudentum capita rostris tutuderunt; idque signum omnibus infaustum est visum. Cicero tamen egressus in villam se recepit et quieti dedit; ibi corvorum magna pars tristi voce ad fenestram assedit; unus in lectum devolavit et rostro vestem, qua Cicero tectus erat, paullatim ab ore ipsius removit. De eadem re Valerius lib. I. cap. 4.: *M. Ciceroni mors imminens auspicio praedicta est: cum enim in villa Caietana esset, corvus in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit et protinus ad ipsum tetendit ac laciniam togae eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nuntiaret.* Hactenus Valerius: ex quo perspicue cognoscitur apud Plutarchum ἐς χαπίτας [1] mendose non pro Capua, sed Caieta legi; quamvis Appianus IV, 19. Capuam nominet, ad quam fuerit haec Ciceronis villa, in qua adventantibus inquisitoribus a corvis e somno excitatus sit. Sequitur in Plutarcho: Servi haec aspicientes suam ipsi ignaviam damnarunt, si herilis caedis spectatores esse sustinerent cumque bestias domino opem ferre ac pro indigno eius casu sollicitas esse viderent, ipsi eum non defenderent, partim precibus, partim vi impositum lecticae ad mare detulerunt. Interim percussores cum ministris superveniunt, Herennius centurio et Popillius tribunus militum, quem parricidii reum Cicero olim defenderat.

De Popillio hoc multa Seneca in Declamationibus et Suasoriis. De eodem Valerius lib. V. cap. 3.: *M. Cicero C. Popillium Laenatem Picenae regionis rogatu M. Caelii non minore cura quam eloquentia defendit, eumque causa admodum dubia fluctuantem, salvum ad penates suos remisit. Hic Popillius postea nec re nec verbo a Cicerone laesus ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exsultans Caietam cucurrit et virum, omitto quod amplissimae dignitatis, certe salubri studio* (ita lege e manuscriptis) *praestantis officii privatim sibi venerandum iugulum praebere iussit; ac protinus caput Romanae eloquentiae et pacis clarissimam dexteram per summum et securum otium amputavit eaque sarcina, tamquam opimis spoliis, alacer in Urbem reversus est neque ei scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam peroraverat.*

Sequitur apud Plutarchum: Percussores cum fores clausas invenissent, eas effregerunt; cumque Cicero non appareret et ii, qui intus erant, scire se, ubi esset, negassent, aiunt adolescentem quendam, a Cicerone in bonis litteris et disciplinis educatum, Quinti fratris libertum, Philologum nomine, tribuno dixisse lecticam per silvestres et opacas ambulationes ad mare deferri. Tribunus igitur cum paucis comitibus circum ambulationes ad exitum cucurrit. Herennius recta per easdem accurrit; quod ubi Cicero animadvertit, servos lecticam ibi deponere iussit. *Satis*, inquit Livius, *constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iussisse.* Appianus scribit multos discurrisse quaerentes, num alicubi Cicero visus esset: cumque alii

1) Editur nunc εἰς Καιήτην.

benevolentia et misericordia permoti eum in alto esse dixissent, clientem Clodii, acerrimi inimici Ciceronis, Popillio Laenati, tribuno militum, indicasse viam, qua lectica deportabatur; eo illum erupisse. Et cum servos longe plures, quam ipse secum habebat, ad dimicandum paratos vidisset, callide exclamasse, *Tribuni, qui in extremo agmine sunt, ingrediantur;* tum servos maiorem multitudinem exspectantes perterritos fuisse. *Cicero*, ait Aufidius Bassus apud Senecam, *paullum remoto velo, postquam armatos vidit: Ego vero consisto, ait; accede, veterane, et, si hoc saltem potes recte facere, incide cervicem. Trementi deinde dubitantique: Quid, si ad me, inquit, primum venissetis?* Brutidius Niger apud eundem: *Elapsus interim altera parte villae Cicero lectica per agros ferebatur; sed ut vidit appropinquare notum sibi militem Popillium nomine, memor defensum a se, laetiore vultu aspexit. At ille, victoribus id ipsum imputaturus, occupat facinus caputque decisum nihil in ultimo fine vitae facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat, oblitus se paullo ante defensum ab illo. Prominenti*, inquit Livius, *ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est: nec satis stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque, scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes, praeciderunt.* Plutarchus: Cicero mentum, ita ut consueverat, tangens, in percussoribus oculos constanter fixit squaloris plenus et capillo demisso macieque ob sollicitudines confectus, usque eo, ut plurimi, Herennio eum iugulante, capita obnuberent. Occisus est praebens cervicem extra lecticam; cum annum iam LXIV. ageret. Praecidit illi iussu Antonii caput et manus, quibus Philippicas scripserat. *Vixit*, ait Livius, *tres et LX. annos: ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit.* Eusebius: Cicero in Formiano suo ab Herennio et Popillio occiditur LXIV. aetatis suae anno. Appianus[1]: Occiso Cicerone quidam equis, alii navigiis incitatis properabant Antonio hunc nuntium perferre; eique in foro sedenti Laenas caput et manum eminus ostendit. Quo ille maxime laetatus tribunum militum coronavit et HS. decies centena milia ei pro maximo praemio dedit, quod summum et infensissimum suum inimicum occidisset. Plutarchus: Cum membra Ciceronis Romam perlata essent, Antonius, qui tum forte comitia habebat, iis visis exclamavit: Proscriptionem iam peractam esse: caput autem et manus pro Rostris poni iussit, spectaculum horrendum Romanis, qui se non Ciceronis voltum, sed imaginem animi Antonii videre putabant. Dio lib. XLVII. 8.: Ubi Ciceronis caput allatum fuit, Antonius multis et gravibus probris illatis illud pro Rostris, loco prae aliis conspicuo, poni iussit, ut, unde in ipsum verba faciens auditus fuerat, ibi caput eius cum manu dextra, quae simul praecisa fuerat, conspiceretur. Fulvia vero caput, antequam auferretur, in manus sumpsit atque atroci-

1) Sed modum occidendi accuratissime refert Appianus in verbis, quae nescio cur Fabricius omiserit. *Laenas ἐκ τοῦ φορείου τὴν κεφαλὴν ἐπισπάσας ἀπέτεμνεν, ἐς τρὶς ἐπιπλήσσων καὶ ἐπιδιαπρίζων ὑπὸ ἀπειρίας.* In percussore igitur non convenit Plutarcho, qui clare Herennium statuit, cum Appiano, qui manifeste Popillium. Gron.

bus verbis illudens et conspuens genibus suis imposuit; et linguam ex ore extractam acubus, quibus ad capitis ornatum utebatur, compunxit, additis multis iisque exsecrandis opprobriis. Livius: *Ita relatum caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in Rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes lacrimis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.* Cremutius Cordus: *Praecipue tamen solvit pectora omnium in lacrimas gemitusque visa ad caput eius deligata manus dextra, divinae eloquentiae ministra; ceterorumque caedes privatos luctus excitaverunt, illa una communem.* Mortem Ciceronis versibus elegantissimis deploravit Cornelius Severus: in quibus sunt, qui sequuntur.

Abstulit una dies aevi decus ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Unica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriae caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum iurisque togaeque
Publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
Informes voltus sparsamque cruore nefando
Canitiem sacrasque manus operumque ministras
Tantorum pedibus civis proiecta superbis
Proculcavit ovans, nec lubrica fata deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aevo.

Paterculus post narratam caedem M. Tullii in haec verba erumpit I. 66.: *Nihil tamen egisti, M. Antoni, mercedem caelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam rei publicae tantique consulis invitando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam: dumque hoc vel forte vel providentia vel utcunque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur; citiusque in mundo genus hominum quam huius nomen cadet.* Ciceronem hoc anno VII. Idus occisum esse, testimonio Tironis liberti scribit Tacitus in dialogo de Oratoribus c. 17.; intelligo autem Idus Decembr., quoniam triumviri inierunt V. Kal. Decembres, ut est in lapide Colotiano. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menses XI., dies V. sive annos LXIV. minus XXVI. diebus.

Nunc ad extremum illud addam, quod Desiderius Lignamineus Patavinus ante annos sedecim divolgavit.[1] Cum anno Christi M. D. XLIV.

1) Impudentissimum istud mendacium plus quam Ligorianum hunc habet indicem: *Sepulchri facies M. T. Ciceronis, paucis ante annis in Zacyntho Insula*

Kalend. Decembr. Angelus Apulus Minorita in Zacyntho insula Venetorum, quae in mari Ionio Epiro adiacet, apud sacellum D. Mariae Gratiosae non longe a littore maris coenobii fundamenta ageret, sepulchrum antiquissimum reperit cum hac inscriptione: *M. TYLLI CICERO HAVE. ET TU TEPTIA ANTΩNIA.* In eodem sepulchro inventae sunt duae urnae vitreae, una maior cinerum, altera minor lacrimarum, ut volunt; in maioris fundo erat vitro inscriptum: *AVE MAR. TUL.* Hoc monumentum ibi in sacrario templi adservatur et Ciceronis nostri esse putatur. Verum in huiusmodi rebus mihi Epicharmi cantilenam illam *μέμνασο ἀπιστεῖν*, ad aurem utramque insusurrari facile patior [1]: cum praesertim in epitaphio quodam, quod in libro manuscripto *ἀδέσποτον* subiicitur, Arpinatem Ciceronem lapide extra Caietam servari inveniam; quem Lignamineus a servis crematum et in Zacynthum delatum fuisse putat.

---

reperti, et a F. Desyderio Lignamineo Patavino in lucem aediti, Venetiis, Ioan. Gryphius excudebat, MDLVII. folia quattuor, forma maxima. Recusum est in *B. G. Struvii Bibliotheca libr. rariorum Theca I. Ienae* 1719. 4. p. 139. seqq. — De Ciceronis imaginibus cfr. Visconti *Iconographie Romaine Part.* I. p. 256.

1) Bene Fabricius; cuius prudentiam confirmat Cl. Iac. Sponius in Itinerario, cuius haec verba merentur adscribi; *Au-dessus de la ville en allant à la forteresse, il y a une église appelée Ste-Hélie, où selon que quelques-uns ont écrit, on avait trouvé le tombeau de Cicéron et de Tertia Antonia sa femme; mais je n'y remarquai autre chose qu'un fond d'urne de porphyre, et je ne pus apprendre aucune nouvelle du reste.* Gron.

MEMORABILIA
VITAE CICERONIS
PER ANNOS DIGESTA
A
SCHUETZIO
ATQUE EMENDATA
A
LEONARDO USTERIO
PROF. BERNENSI.

Anni U. C. Varr.	Anni ante Chr. nat.		Anni Ciceronis.
648	106[1]	Coss. *C. Atilius Serranus*, *Q. Servilius Caepio.*[2] M. Tullius Cicero natus Arpini a. d. III. Nonas Ianuarias[3], patre M. Tullio Cicerone, matre Helvia.[4] Marius in Numidia bellum gerit contra Iugurtham. — Cn. Pompeius Magnus natus prid. Kal. Oct.	1
649	105	Coss. *P. Rutilius Rufus*, *Cn. Mallius.* Iugurtha L. Cornelio Sullae, Marii quaestori, vinctus traditur, ab eoque ad Marium deducitur.	2
650	104	Coss. *C. Marius II.*, *C. Flavius Fimbria.* C. Marius Kal. Ian. de Iugurtha triumphat. Bellum adversus Cimbros et Teutonos decernitur.	3
651	103	Coss. *C. Marius III.*, *L. Aurelius Orestes.* Hunc annum Marius in apparando bello Cimbrico consumit. Eodem aut superiore natus esse videtur Q. Cicero Marci frater.	4

1) In annis ante Christum natum, quo vitaretur confusio, secuti sumus volgarem rationem, id est Almeloveenii et St. Allaisii (*Art de vérifier les dates avant l'ère chrétienne.* Paris. 1819.), ex qua Christus natus est a. u. c. 754. Varron. Alii numerant ex anno Varroniano 751., ita ut a nostris numeris in *Memorabilibus vitae Ciceronis* apud Schuetzium et Matthiaeum in Epistolis Cic. terni anni deducendi sint. Noster igitur annus a. Chr. n. 106. illis est 103., noster 43., quo Cicero occisus est, 40. Vera autem ratio a Sanclementio et Idelero demonstrata haec est, ut Christus natus sit a. u. c. 747. Varr. 2) Brut. 43. 3) Legg. II. 1. 4) ad Att. VII. 5. XIII. 42. 5) ad Fam. XVI. 26.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
652	102	Coss. *C. Marius IV., Q. Lutatius Catulus.* C. Marius Teutones et Ambrones ad aquas Sextias prope Massiliam vincit. — Antonius orator maritimos praedones persequitur. Archias poëta Romam venit.[1]	5
653	101	Coss. *C. Marius V., M'. Aquilius.* M'. Aquilius cos. adversus fugitivos in Siciliam missus, bello servili, Athenione duce interfecto, finem imponit. Propter huius belli memoriam idem, cum a L. Fufio de repetundis accusatus esset, defendente Antonio, absolutus est. — C. Marius cos. cum Q. Lutatio Catulo procos. Cimbros ad Athesin fluvium proelio vincit.	6
654	100	Coss. *C. Marius VI., L. Valerius Flaccus.* L. Appuleii Saturnini trib. pl. et C. Servilii Glauciae seditio; uterque interficitur. Is Q. Metello Numidico, quod in eius legem agrariam iurare nollet, diem dixit, qui urbe maluit quam sententia decedere.	7
655	99	Coss. *M. Antonius* (orator), *A. Postumius Albinus.* Q. Metellus Numidicus rogatione Q. Calidii trib. pl. in civitatem restituitur.	8
656	98	Coss. *Q. Caelius Metellus Nepos, T. Didius.* Lex Caecilia Didia, qua iubentur leges per trinundinum promulgari et cavetur de duabus aut pluribus rebus non una lege coniungendis (ne quis per saturam ferret).	9
657	97	Coss. *Cn. Cornelius Lentulus, P. Licinius Crassus.* Censores L. Valerius Flaccus et M. Antonius orator lustrum faciunt.	10
658	96	Coss. *Cn. Domitius Ahenobarbus, C. Cassius Longinus.* Ptolemaeus Apion, rex Cyrenarum, testamento populum Romanum heredem facit.	11
659	95	Coss. *L. Licinius Crassus, Q. Mucius Scaevola.* Lex Licinia Mucia, lata de civitate, ne quis sit pro cive, qui non sit civis, praecipua belli Marsici causa.	12
660	94	Coss. *C. Caelius Caldus, L. Domitius Ahenobarbus.*	13

1) pro Archia 5.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
661	93	Coss. *C. Valerius Flaccus*, *M. Herennius.*	14
662	92	Coss. *C. Claudius Pulcher*, *M. Perperna.*	15
663	91	Coss. *L. Marcius Philippus*, *Sex. Iulius Caesar.* Ciceroni puero toga virilis datur.[1] Poëma Pontium Glaucum condit et carmen heroicum Marii nomine inscriptum.[2] M. Livius Drusus trib. iudicia ab equitibus ad senatum transferre cupit. Idem socios et Italicos populos ad spem civitatis Romanae sollicitat; mox autem a Q. Vario e foro rediens in atrio domus suae cultello vulneratus moritur. Eodem anno moritur L. Crassus orator.[3]	16
664	90	Coss. *L. Iulius Caesar*, *P. Rutilius Lupus.* Bellum oritur sociale seu Marsicum. Deficientibus ob negatam civitatem sociis Italis Q. Varius legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Rom. arma sumpsissent; sed senatus decrevit, ne, dum tumultus Italicus esset, iudicia exercerentur. Cicero Arati phaenomena Latinis versibus reddit.[4]	17
665	89	Coss. *Cn. Pompeius Strabo*, *L. Porcius Cato.* Cicero in bello Marsico tiro est in Cn. Pompeii cos. exercitu.[5] Hoc anno lege Plotia, lata a M. Plautio Silvano trib. pl., iudicia cum senatoribus et equitibus communicata sunt. Idem trib. pl. legem tulit de vi armatis hominibus, ut de eius capite quaereretur, qui vim fecisset.	18
666	88	Coss. *L. Cornelius Sulla*, *Q. Pompeius Rufus.* P. Sulpicius trib. pl. auctore Mario perniciosas leges promulgat; Q. Pompeii consulis filium, Sullae generum, occidit. Sulla cum exercitu venit ad urbem. P. Sulpicius occiditur. Marius primum Minturnas, deinde in Africam fugit.[6] Sulla, rebus in urbe compositis, ad bellum Mithridaticum proficiscitur. Q. Pompeius cos. in castra adversus Marsos profectus Cn.	19

1) Lael. 1. 2) Plut. Cic. 1. De Leg. I. 1. De Cicerone puero cfr. etiam de Or. II. 1. 3) Cfr. de Or. III. 1. 2. 4) Eius poem. fragm. vide de Div. I. 47. De ceteris Tullii nostri studiis cfr. de Or. I. 34. 5) Phil. XII. 11. 6) pro Planc. 10. Vell. Pat. II. 19.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		Pompeii procos. hortatu, cui succedere in imperio debebat, a militibus occiditur. Cicero Romae operam dat Phaedro Epicureo,[1] deinde Philoni, Academiae principi.[2] Ius civile cognoscit auctore et duce Scaevola augure, quo mortuo se confert ad Q. Mucium Scaevolam Pontificem.[3]	
667	87	Coss. *Cn. Octavius*, *L. Cornelius Cinna.*	20
		Cinna cos. perniciosis legibus per vim latis a collega Cn. Octavio Urbe expellitur, eique senatus magistratum abrogat, L. Cornelium Merulam sufficit. Ille autem Italicas civitates sollicitat, App. Claudii exercitum in potestatem suam accipit, Marium cum reliquis exsulibus revocat. Quo facto hic ad Urbem cum exercitu accedit atque captam caedibus et rapinis vastat. Multi senatores, in iisque clarissimi viri, Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Caesares fratres trucidantur.[4] Cornelius Merula se consulatu abdicat sibique venas incidit. Cicero Romae Apollonio Moloni Rhodio, clarissimo rhetori, operam dat.[5]	
668	86	Coss. *L. Cornelius Cinna II.*, *C. Marius VII.*	21
		Marius cos. Idibus Ian. moritur.[6] Ei suffectus L. Valerius Flaccus, a Cinna missus, ut Sullae ad bellum Mithridaticum succederet, in Asiam traiicit. Hoc tempore Cicero scripsit libros Rhetoricorum, quorum duo supersunt de Inventione.[7]	
669	85	Coss. *L. Cornelius Cinna III.*, *Cn. Papirius Carbo.*	22
et	et		et
670	84	Coss. *Cn. Papirius Carbo II.*, *L. Cornelius Cinna IV.*	23
		Sulla bellum cum Mithridate feliciter gerit. Cicero Romae apud Stoicum Diodotum cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialecticis exercetur, praeterea pergit Latine et Graece declamitare.[8] Eodem tempore Xenophontis Oeconomicum et aliquot	

1) ad Fam. XIII. 1. 2) Brut. 89. 3) Lael. 1. Brut. 90. cfr. de Q. Mucio de Or. I. 45. 4) Tusc. V. 19. de Or. III. 3. 5) Brut. 89. 6) de Nat. Deor. III. 32. 7) de Or. I. 2. 8) Brut. 90.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		Platonis dialogos e Graeco in Latinum sermonem convertit.	
671	83	Coss. *L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. Iunius Norbanus Bulbus.* Sulla pace cum Mithridate facta in Italiam redit, C. Norbanum cos. proelio vincit. Scipio alter cos. ad Teanum cum exercitu profectus cum Sulla de pacis et rei publicae ordinandae conditionibus agit [1], de quibus cum inter eos haud convenisset, exercitus Scipionis signa ad Sullam transfert; ipse cum filio solus in castris relictus a Sulla dimittitur et Massiliam abit exsulatum.[2] Capitolium de caelo tactum conflagrat.	24
672	82	Coss. *C. Marius C. F., Cn. Papirius Carbo III.* L. Damasippus praetor auctore Mario cos. omnem nobilitatem trucidat. Sulla fuso ad Sacriportum exercitu in Urbem venit, inimicos fuga elapsos proscribit, eorumque bona publicat. Deinde praesidio Urbi imposito Cn. Carbonem [3], alterum consulem, aliquot proeliis vincit, quem mox, in Siciliam elapsum, Cn. Pompeius captum interfecit. Postremo reliquos Marianae factionis duces Carinatem, Damasippum et C. Marcium Censorinum cum sociis ingenti pugna superat. Quo facto in Urbem redit et magna civium multitudine crudelissime trucidata *dictator* ab interrege L. Valerio Flacco lege ad populum lata creatur [4]; quam dictaturam per aliquot annos tenet, consules tamen creari passus.	25
673	81	Coss. *M. Tullius Decula, Cn. Cornelius Dolabella.* Sulla rem publicam novis legibus constituit. Cn. Pompeius, bello in Africa cum Domitio et Hiarba rege Numidiae confecto, XXVI. annos natus eques triumphat. Cicero orationem habet *pro Quintio.*	26
674	80	Coss. *L. Cornelius Sulla II. Q. Caecilius Metellus Pius.* Cicero defendit Sex. Roscium Amerinum parricidii reum.[5]	27

1) Phil. XII. 11. 2) pro Sestio 3. 3) ad Fam. IX. 21 extr. 4) de lege agr. III. 2. 5) Brut. 90. cfr. de Off. II. 14.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
675	79	Coss. *P. Servilius Vatia Isauricus, App. Claudius Pulcher.* Sulla se dictatura abdicat. Cicero Arretinae mulieris libertatem contra Cottam defendit. [1] Deinde proficiscitur in Graeciam. Athenis Antiocho Ascalonitae operam dat; Phaedrum et Zenonem Epicureos audit. [2]	28
676	78	Coss. *M. Aemilius Lepidus, Q. Lutatius Catulus.* L. Cornelius Sulla moritur. [3] M. Lepidus cos. in Galliam provinciam sibi decretam profectus acta Sullae rescindere et proscriptos revocare conatur, exercitu ad Urbem admoto; unde a Catulo cos. et Cn. Pompeio repulsus exsul in Sardinia moritur. Cicero Athenis apud Demetrium Syrum dicendi magistrum exercetur. Deinde Asiam peragrat operamque dat Menippo Stratonicensi, Xenocli Adramytteno, Aeschylo Gnidio, Dionysio Magneti rhetoribus. Rhodi apud Apollonium Molonem Graece declamitat et Posidonium philosophum Stoicum audit. [4]	29
677	77	Coss. *D. Iunius Brutus, Mam. Aemilius Lepidus Livianus.* Cn. Pompeius mittitur contra Sertorium. Cicero ex itinere in Graeciam et Asiam revertitur et Terentiam uxorem ducit.	30
678	76	Coss. *Cn. Octavius* [5], *C. Scribonius Curio.* In Hispania adversus Sertorium acerrime pugnatur. Cicero causas complures in foro agit, in primis orationem habet pro *Roscio Comoedo.* [6] Deinde quaesturam petens, in comitiis tributis cunctis suffragiis quaestor fit. [7]	31
679	75	Coss. *L. Octavius, C. Aurelius Cotta.* Cicero quaestor in Sicilia Lilybaetanus praetore Sex. Peducaeo. [8]	32
680	74	Coss. *L. Licinius Lucullus, M. Aurelius Cotta.* M. Antonius Creticus, M. triumviri pater cura-	33

1) pro Caec. 33. 2) Brut. 91. de Fin. I. 5. De mysteriis Eleus. cfr. de legg. II. 14. 3) de Sulla cfr. de Fin. III. 22. Off. II. 28 de legg. II. 22. 4) Brut. 91. 5) de Fin. II. 28. extr. 6) de Roscio cfr. de Or. I. 28. Val. Max. VIII. 7. 7) Brut. 92. in Pis. 1. 8) in Verrem II. V. 14. Tusc. V. 23

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		tionem orae maritimae nactus Siciliam aliasque provincias depopulatur, deinde Cretensibus bello illato, re male gesta moritur.	
		Cicero ex quaestura Siciliensi ad Urbem redit [1].	
681	73	Coss. *M. Terentius Varro Lucullus*, *C. Cassius Varus.*	34
		In Italia bellum a gladiatoribus excitatur duce Spartaco. L. Lucullus bellum contra Mithridatem gerit, Cyzicum urbem obsidione liberat.	
682	72	Coss. *L. Gellius Poplicola*, *Cn. Cornelius Lentulus Clodianus.*	35
		Lucullus Mithridatem in Pontum persequitur. Spartacus utrumque consulem proelio vincit.	
683	71	Coss. *Cn. Aufidius Orestes*, *P. Cornelius Lentulus Sura.*	36
		Mithridates ad generum suum Tigranem in Armeniam fugit. Spartacus a M. Licinio Crasso [2] praetore proelio victus perit. Extremo anno Pompeius Magnus bello Sertoriano confecto ex Hispania redux, deletis reliquiis gladiatorum, triumphat. [3]	
684	70	Coss. *Cn. Pompeius Magnus*, *M. Licinius Crassus.*	37
		Cicero aedilis designatus, Siculorum patrocinio suscepto, C. Verrem, qui Siciliam provinciam per triennium rapinis et crudelitate vexaverat, repetundarum postulatum in iudicium vocat. [4] Ad istam causam pertinet *divinatio in Caecilium* et *Actio* Cic. *prima in Verrem*. *Actionis secundae libri quinque* postea, Verre iam exsulante, conscripti sunt.	
		Hoc anno L. Aurelius Cotta praetor tulit legem iudiciariam ad populum, qua iudicia, quae lege Cornelia penes senatores fuerant, communicata sunt cum equitibus et tribunis aërariis. Tribunicia potestas in integrum restituta est.	
685	69	Coss. *Q. Hortensius*, *Q. Caecilius Metellus Creticus.*	38
		Cicero *aedilis* trinos ludos facit modico sumptu. [5] *M. Fonteium* ex Gallia provincia, quam pro prae-	

1) pro Planc. 26. 2) Cfr. in Pis. 24. 3) Cfr. pro lege Man. 11. pro Sest. 31. 4) Brutus 92. cfr. Verr. I. 5. 5) in Pis. 1. Verr. II. V. 14. pro Mur. 19. de Off. II. 17. Plut. Cic. 9. extr.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		tore per triennium rexerat, repetundarum reum, oratione defendit. Ad eundem annum referenda videtur oratio *pro Caecina*.	
686	68	Coss. *L. Caecilius Metellus*, *Q. Marcius Rex*.	39
		Hoc anno incipiunt Ciceronis epistolae ad Atticum. L. Cicero M. frater patruelis moritur.[1]	
687	67	Coss. *C. Calpurnius Piso*, *M'. Acilius Glabrio*.	40
		Cicero praeturam petit et inter octo praetores primus designatur.[2] Anno exeunte filiam Tulliam C. Pisoni L. F. Frugi despondet, nondum scil. nubilem, nuptiis in annum abhinc tertium dilatis.	
		Cn. Pompeio Magno bellum adversus piratas[3] defertur lege Gabinia. L. Roscius Otho trib. pl. legem tulit, ut equites in XIV. ordinibus spectarent.[4]	
688	66	Coss. *M'. Aemilius Lepidus*, *L. Volcatius Tullus*.	41
		Cicero *praeturam* gerit; eius frater Q. aedilitatem petit. Ipse orationem *pro lege Manilia* a trib. pl. C. Manilio promulgata habuit, ut bellum cum Mithridate a Lucullo gestum Cn. Pompeio Magno committeretur. Eodem hoc anno dixit pro A. *Cluentio* et pro *M. Fundanio*.	
689	65	Coss. *L. Aurelius Cotta*, *L. Manlius Torquatus*.	42
		Cicero C. Cornelium Gallum de maiestate accusatum apud Q. Gallium praetorem defendit.[5]	
690	64	Coss. *L. Iulius Caesar*, *C. Marcius Figulus*.	43
		Cicero consulatum petit. Habet *orationem in toga candida* contra Catilinae et Antonii coitionem. Consul designatur cum C. Antonio.[6] Ei filius nascitur.[7] Tulliam filiam XIII annos natam C. Pisoni L. F. Frugi in matrimonium dat.[8] Pater Tullio nostro decedit a. d. XVIII. Kal. Dec.[9]	
		C. Iulius Caesar praetor quaesturam inter sicarios exercet.	
691	63	Coss. *M. Tullius Cicero*, *C. Antonius*.	44
		P. Servilius Rullus trib. pl. *legem* promulgaverat *agrariam*. Contra eam Cicero tres orationes ha-	

1) ad Att. I. 5. 2) pro lege Man. 1. Brut. 93. 3) pro lege Man. 11. 12. 4) pro Mur. 19. 5) Cfr. Or. 67. 70. Quintil. VIII. 3. 6) de lege agr. II. 2. 7) ad Att. I. 2. 8) Ibid. 3. 9) Ibid. 6.

Anni U. C	Ante C. N.		Anni Cic.
		buit, primam in senatu, secundam et tertiam in concione ad populum.[1] Hanc secutae sunt orationes pro *L. Roscio Othone*[2] (vid. ad a. 687); pro *Rabirio Postumo*; de *proscriptorum filiis*, quos Sulla paternis opibus et petendorum honorum iure excluserat; quam legem etiamsi duram Cicero tamen rei publicae causa servandam esse defendit.[3] Sequitur oratio habita, *cum provinciam in concione deponeret*. Deinde cum Catilinae furores[4] in coniurationem adversus rem publ. erupissent, Cicero habuit *orationes Catilinarias*; tum *L. Murenam*, cos. designatum, de ambitu accusatum defendit.[5]	
692	**62**	Coss. *D. Iunius Silanus*, *L. Licinius Murena.* Catilina, adversus quem Antonius procos. cum exercitu missus erat, victus ab eius legato M. Petreio perit. Antonius in Macedoniam, quae provincia ei obtigerat, proficiscitur. Pompeius confecto Mithridatico bello redit. Metellus Nepos trib. pl. in concione in Ciceronem et senatum invehitur, negans cives coniurationis Catilinae socios indicta causa necandos fuisse. Ei opponit Cicero orationem Metellianam. Idem h. a. emit domum in Palatio.[6] Extremo anno Clodius Pompeiae Caesaris uxoris amore captus, cum in eius domo Bonae Deae pro populo fieret, clam veste muliebri ingressus et agnitus foras eiicitur.[7] — Hoc anno Cicero habuit orationem pro *P. Cornelio Sulla*, a L. Torquato coniurationis accusato. Eodem Q. Cicero M. frater praeturam gessit.	**45**
693	**61**	Coss. *M. Pupius Piso Calpurnianus*, *M. Valerius Messala Niger*. Clodius incesti crimine accusatus id amoliri studet, cum diceret, se illa nocte non Romae, sed Interamnae fuisse. Cicero testis productus dicit illum eodem die ad se domum venisse; Clodius tamen absolvitur. Q. Ciceroni M. fratri ex praetura Asia provincia obtingit. Cicero Clodium in senatu tum oratione perpetua, tum altercatione frangit.[8] Hoc anno idem orationem pro *Archia poëta* habuit.	**46**

1) Cfr. in Pis 2. 2) Plut. Cic. 14. 3) de Off. III, 25. in Pis. 2. 4) Cfr. pro Caelio 5. 6. pro Mur. 24—26. 5) Cfr. pro Flacco 39. et de omni Cic. consulatu in Pis. 3. pro Sulla 1. 6) ad Fam. V. 6. 7) ad Att. I. 13. Parad. IV. 2. extr. 8) ad Att. I. 16.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		Pompeius III. et prid. Kal. Oct. de Mithridate, Tigrane aliisque regibus victis triumphum agit. Caesar ex praetura Hispaniam obtinet.	
694	60	Coss. *L. Afranius*, *Q. Caecilius Metellus Celer.*	47
		Initio anni Cicero effecit, ne Q. fratri in Asia succederetur. P. Clodius Ciceronis ulciscendi causa tribunatus cupidus transitionem ad plebem molitur. Cicero *commentarium consulatus* sui scribit; de eodem librum Graece scriptum edit; denique poëma de consulatu tribus libris conscribit.[1]	
		Hoc anno ad finem vergente Pompeius cum C. Iulio Caesare et M. Licinio Crasso coitionem facit.	
695	59	Coss. *C. Iulius Caesar*, *M. Calpurnius Bibulus.*	48
		Cicero legationem sibi a Caesare oblatam aspernatur, idemque locum in XX Viris agro Campano dividundo recusat. Quod Caesar aegre ferens Clodium, qui se P. Fonteio plebeio homini in adoptionem dederat, ad plebem traducit.[2] Hoc anno C. Antonius, post reditum e provincia accusatus, a Cicerone defenditur. Condemnatus tamen exsul abit in Cephaleniam. Postea Cicero Thermum bis defendit effecitque, ut absolveretur. Deinde orationem habuit pro *L. Valerio Flacco* a D. Laelio repetundarum accusato, eumque de manifestissimis criminibus ioci opportunitate exemit.	
		Caesari consuli, rogatione P. Vatinii trib. pl., invito senatu, Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium decernitur, quo facto senatus ei Galliam ulteriorem cum alia legione addit. P. Clodius comitiis tribuniciis trib. pl. designatur eumque tribunatum adit mense Decembri.	
696	58	Coss. *L. Calpurnius Piso Caesoninus*, *A. Gabinius.*	49
		Clodius trib. pl. leges tulit 1. ut frumentum populo gratis daretur, 2. ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret, 3. de collegiis restituendis novisque instituendis, 4. ne quem censores in senatu legendo praeterirent neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset.	

1) ad Att. I. 19. 2) de prov. Cons. 17. ad Att. I. 18. cfr. ibidem II. 19. IX. 2.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		Praeterea legem tulit, ut, qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. Quo facto Cicero vestem mutat, et sordidatus populo supplicat.[1] Multi senatores et XX milia hominum aliorum, in primis equites fere omnes, vestitum mutant.[2] Cicero mense Martio extremo Urbe cedit.[3] Post eius discessum Clodius de eius exsilio ad populum refert edictumque proponit, ut illi aqua et igni interdiceretur et ne intra quadringenta milia passuum ei liceret esse. Deinde Ciceronis domum in Palatio, item villam Tusculanam et Formianam incendit, bona diripit.[4] Cicero Vibonem, Thurium, Tarentum, Brundisium petit, et X. Kal. Iun. Thessalonicam venit.[5] Inde cum ei spes reditus facta esset, Dyrrhachium redit circa VI. Kal. Dec. Q. frater ante Kal. Maias Asia provincia decessit, quam per triennium obtinuerat.	
		Cicerone expulso, Clodius legem tulit de Ptolemaeo, rege Cypri, ut bona eius publicarentur et regnum in provinciae formam redigeretur; quod negotium M. Catoni mandatum est.	
697	57	Coss. *P. Cornelius Lentulus Spinther*, *Q. Caecilius Metellus Nepos.*	50
		Kalendis Ianuariis Lentulus Spinther cos. de revocando Cicerone in senatu agere coepit, adiuvantibus fere omnibus tribunis plebis, in primis P. Sestio et T. Annio Milone. His studiis effectum est, ut primum SCtum fieret de eius salute, deinde lex de eo revocando ad populum lata prid. Nonas Sextil. omnium centuriarum consensu perlata est.[6] Eodem die Cicero Dyrrhachio profectus Nonis Sextil. Tulliae natali Brundisium venit. Inde per Italiam omnium municipiorum, praefecturarum, coloniarum summa gratulatione et plausu exceptus Romam venit prid. Non. Sept. Postridie senatui, deinde populo, concione a consulibus data gratias egit.[7] Prid. Kal. Oct. Cicero apud pontifices pro *domo* dicit. Do-	

1) Cfr. ad Att. III. 15. 2) pro Sestio 14. 3) Omnem rationem facti et consilii sui exposuit Cicero pro Sest. 16—22. pro Planc. 35—37. in Pisonem 9. 4) pro Sest. 24., pro C. Rabirio 17. 5) pro Planc. 40. 41. 6) pro Sest. 31—41. 54—58. 60—62. in Pisonem 15. 7) ad Att. IV. 1. pro Sest. 63. in Pisonem 22.

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		mus in Palatio, Tusculana et Formiana villa pecunia publica aedificanda locatur.[1] Hoc anno statim post Ciceronis reditum in eiusque sententiam fit SCtum, ex eoque lex promulgatur, ut Pompeio per quinquennium potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur.[2] In quindecim legatis, quos huius rei causa Pompeius sibi legavit, fuit Q. Cicero, isque in eo negotio in Sardiniam profectus est.	
698	56	Coss. *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus*, *L. Marcius Philippus.*	51
		Initio anni Cicero in senatu agit, ut P. Lentulo Ciliciae procos. negotium daretur Ptolemaei regis in regnum reducendi. *P. Sestius* a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus defenditur a Cicerone oratione quae exstat, et absolvitur. In eum Vatinius testimonium dixerat. Itaque Cicero perpetua *interrogatione* eius vitam et tribunatum reprehendit. III. Id. Febr. Bestiam defendit de ambitu accusatum. Prid. Non. Apr. Tulliam filiam Furio Crassipedi despondet. Cum anno superiore prodigia in agro Latiniensi facta essent et haruspices cum alias causas, tum hanc attulissent, quod loca sacra pro profanis haberentur; Clodius aedilis in concione dixit, domum Ciceronis etiam inter ea loca esse, quae consecrata profana haberentur; quo tempore oratio a Cicerone *de haruspicum responsis* habita esse fingitur. Deinde defendit *L. Cornelium Balbum* Gaditanum, quem accusator negaverat iure civitate donatum. Paullo post in senatu habuit orationem *de provinciis consularibus*. Eodem anno defendit *M. Caelium* de auro, quod a Clodia sumpsisse, et de veneno, quod ei parasse dicebatur, accusatum.	
		C. Iulius Caesar, exercitu in hibernis collocato, discedens in Italiam Lucae hiemat. Eo Pompeium et Crassum vocat, cum iisque paciscitur, ut ambo consulatum alterum petant, et hac ratione L. Domitium consulatu detrudant, qui minatus erat se, si consul factus esset, Caesari exercitus ademturum.	
699	55	Coss. *Cn. Pompeius Magnus II.*, *M. Licinius Crassus II.*	52
		Consules ex interregno magistratum ineunt. Pro-	

1) ad Att. IV. 2. 3. 2) ad Att. IV. 1.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		vinciae iis in quinquennium decernuntur, Pompeio Hispaniae cum Africa, Crasso Syria, Galliae Caesari in alterum quinquennium prorogantur. Pompeius provincias suas per legatos Afranium et Petreium administrari iubet, ipse in Italia manet. M. Crassus ad bellum Parthis inferendum antequam paludatus in provinciam exiret, apud Ciceronem in Crassipedis generi hortis coenat.	
		Hoc anno Cicero orationem habuit in *Pisonem*, scripsitque libros tres *de Oratore*[1]; ut nonnemo falso volt, etiàm *libros tres de temporibus suis*.	
700	54	Coss. *L. Domitius Ahenobarbus*, *App. Claudius Pulcher*.	53
		Cicero *Crassi* causam in senatu defendit; orationes habuit pro *Vatinio*, pro *Messio* et *Druso*, pro *M. Aemilio Scauro* a C. Triario repetundarum postulato, pro *Cn. Plancio*, pro *A. Gabinio* repetundarum accusato, (quem rogatu Pompeii defendit;) pro *C. Rabirio Postumo* maiestatis reo. Otium impendit libris *de re publica* scribendis.[2] Q. Cicero legatus Caesaris in Galliam proficiscitur.[3]	
		Iulia Caesaris filia Cn. Pompeii Magni uxor moritur.	
701	53	Coss. *Cn. Domitius Calvinus*, *M. Valerius Messala*.	54
		Hi consules non Kal. Ianuariis magistratum inierunt, sed post plura interregna mense Aprili demum creati sunt.	
		Cicero, postquam M. Crassus exercitu a Parthis deleto perierat, in eius locum *augur* factus est.[4]	
702	52	Coss. *Cn. Pompeius Magnus III. sine collega*.	55
		Hoc anno Milo, P. Plautius Hypsaeus et Q. Metellus Scipio consulatum, Clodius praeturam petebat. Ambitus non more maiorum, sed largitione aperta agebatur: denique res ad vim et caedem spectabat. XIII. Kal. Febr., cum Milo Lanuvium ad flaminem ibi prodendum proficisceretur, obviam ei fit Clodius Aricia rediens et pugna coorta interficitur. Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martias cos. creatus paullatim coepit se a Caesare avertere. Uxorem ducit Corneliam, Q. Metelli Scipionis	

1) ad Fam. I. 9. 2) de Legg. II. 10. 3) Cfr. ad Att. IV. 18. 4) Philipp. II. 4. Brut. I.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		filiam, socerumque sibi in quinque extremos huius anni menses collegam in consulatu subrogavit. Cicero Milonem de vi accusatum defendit, sed ita ut fori adspectu, iussu Pompeii militibus circumdati et acclamationibus Clodianorum perturbatus parum constanter diceret. Eam quae exstat pro *Milone* orationem postea scripsit, cum Milo condemnatus Massiliam exsulatum abisset. Deinde defendit *M. Saufeium*, qui absolutus est. Mense Decembri T. Munatius Plancus Bursa, tribunatu plebis deposito, accusatus a Cicerone et condemnatus est. Hoc anno vel sequentis initio, certe post Milonianum iudicium, scripsit Cicero *libros de legibus*.[1]	
703	51	Coss. *Ser. Sulpicius Rufus*, *M. Claudius Marcellus*. Cum superiore anno SCto cautum esset, ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam iret, coacti sunt ii provincias administrare, qui in eas e consulatu et praetura nondum iverant. Itaque Ciceroni obtigit Cilicia pro consule regenda, cum exercitu peditum XII. M., equitum MMDC. Successit in provincia App. Claudio. Laodiceam in provinciam venit prid. Kal. Sext.[2]	56
704	50	Coss. *L. Aemilius Paullus*, *C. Claudius C. F. Marcellus*. Ciceroni Romae pro re bene gesta supplicationes decernuntur.[3] Ipse III. Kal. Sext. de provincia decedens C. Caelium quaestorem ei praefecit. Epheso profectus Kal. Oct. Athenas venit prid. Id. Patris Tironem aegrum reliquit. Brundisium venit VII. Kal. Dec.	57
705	49	Coss. *C. Claudius M. F. Marcellus*, *L. Cornelius Lentulus Crus*. Cicero prid. Non. Ian. ad Urbem accedens in ipsam incidit flammam civilis discordiae inter Caesarem et Pompeium.[4] Kal. Ian. factum est SCtum, ut ante Kal. Mart. Caesar exercitum dimitteret; si non faceret, eum adversus rem publ. facturum videri. Ei SCto intercedunt trib. pl. M. Antonius et Q. Cassius. Senatus consulibus, praetoribus, tribunis pl.	58

1) ad Fam. IX. 2 extr. 2) cfr. ad Att. V. 2. 7. 10. 15. 3) ad Fam. XV. 4. 4) Ibid. XVI. 11.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		iisque, qui pro consulibus ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid res publica detrimenti caperet. Cicero, cum frustra omnia esset expertus, quae ad concordiam pertinerent, postquam Caesar, Rubicone traiecto, complura oppida occupaverat, una cum consulibus, qui Pompeium sequebantur, ab Urbe discessit et Capuam oramque maritimam a Formiis tuendam suscepit. Pompeius VIII. Kal. Mart. Brundisium venit. VII. Id. Mart. Caesar ad murum castra ponit. XVI. Kal. Apr. Pompeius Brundisio, cum omnibus copiis, navibus in Graeciam traiicit. Caesar postero die oppidum ingressus et concionatus Romam proficiscitur, quo in itinere Cicero eum convenit. VII. Id. Iun., postquam Arpini filio togam puram dederat, Pompeium in Graeciam secuturus navem conscendit. Caesar Hispania potitur, superatis Pompeii legatis, et a M. Lepido praetore dictator dictus Romae comitia habet, quibus ipse cum P. Servilio cos. creatur.	
706	48	Coss. *C. Iulius Caesar II., P. Servilius Vatia Isauricus.* Caesar prid. Non. Ian. Brundisio in Epirum traiicit, Pompeium Dyrrhachii obsidet, qui inde elapsus bellum in Thessaliam transfert, ubi proelio ad Pharsalum prid. Kal. Oct. a Caesare victus in Aegyptum fugit ad Ptolemaeum puerum ibique interficitur. Caesar bellum Alexandrinum gerit. Cicero ab armis discedens Brundisium venit.	59
707	47	*C. Iulius Caesar II.* Dictator, *M. Antonius* Magister Equitum. Caesar, bello Alexandrino confecto, mense Septembri in Italiam rediit eique Cicero obviam processit. Caesar ut eum sibi occurrere vidit, descendit eumque salutavit, cum eoque colloquens multa stadia processit. Paullo post Cicero, qui usque ad id tempus Brundisii commoratus erat, in Urbem venit. Tribus extremis h. a. mensibus coss. fuerunt Q. Fufius Calenus et P. Vatinius. Caesar VI. Kal. Ian. Lilybaeo in Africam traiecit, bellum adversus Pompeianos, Scipionem et Catonem et Iubam Mauritaniae regem gesturus.	60

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
708	46	Coss. *C. Iulius Caesar III.*, *M. Aemilius Lepidus.* *C. Iulius Caesar simul* III. Dictator, *M. Aemilius Lepidus* Mag. Equitum. Caesar initio mensis Aprilis Scipionem et Iubam vincit Paucis diebus post M. Cato Uticae sibi mortem consciscit. Caesar, Africano bello confecto, Id. Iuniis classem conscendit et die tertio in Sardiniam venit. Inde III. Kal. Quint. profectus Romam venit a. d. VII. Kal. Sext. Ibi quatuor triumphis actis rem publ., summam potestatem nactus, constituit. Extremo anno ad bellum Hispaniense adversus Pompeii liberos profectus est et post XXVII dies in Hispaniam venit. Eodem anno Caesar fastos correxit et ut in posterum ex Kal. Ian. temporum ratio magis congrueret, inter Novembr. et Decembr. menses duos alios interiecit, ita ut hic annus servato vetere mense intercalario, XV. mensium esset. Cicero h. a. *partitiones oratorias*, deinde *laudem Catonis* scripsit, cui Caesar *Anticatonem* opposuit. Deinde scripsit *Oratorem* ad M. Brutum, qui tum Galliae Cisalpinae praeerat. Prid. Kal. intercalar. priores apud Caesarem habuit orationem pro *Q. Ligario*, quem Q. Aelius Tubero accusaverat. Extremo anno cum Terentia uxore divortium fecit.	61
709	45	Coss. *C. Iulius Caesar IV.* Dictator, *M. Aemilius Lepidus* Mag. Equitum. *Caesar simul* IV. consul *sine collega fuit.* Caesar, victis in Hispania Pompeii filiis, Sexto et Cnaeo, mense Octobri Romam reversus consulatu se abdicat et Q. Fabium Maximum et C. Trebonium sibi sufficit. Ultimo autem Decembris die cum Fabius decessisset, Trebonius vero abesset, C. Caninius Rebilus consul renuntiatur, qui, ut Cicero iocabatur, adeo vigilans consul fuit, ut toto consulatu somnum non viderit. Cicero initio h. a. vel superiore exeunte missa Terentia Publiliam uxorem duxit, cuius bona heres a patre fideicommissarius relictus custodiebat. Tullia eius filia, post divortium cum Dolabella factum, Romae filiolum peperit et paullo post diem obiit supremum. Cicero vehementer eius morte afflictus, Publilia dimissa, Asturae se abdidit doloremque suum partim fani Tulliae erigendi consilio, partim	62

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		libris scribendis lenire studet.[1] Scripsit igitur h. a. *Consolationem* s. librum de luctu minuendo, libros *de finibus bonorum et malorum*, *Academicas quaestiones*. Animum etiam adiecit libro ad Caesarem de re publ. ordinanda scribendo. Mense Aprili filium suum studiorum causa Athenas mittit; et paullo post Astura discedit reliquosque menses partim in Tusculano, partim in Arpinati aliisque villis transigit; mense Octobri Romam se confert; mense autem Decembri in Puteolanum, ubi XII. Kal. Ian. Caesarem eiusque comites hospitio accepit.	
710	44	Coss. *C. Iulius Caesar V., M. Antonius.*	63
		Primis anni mensibus Cicero absolvit *Tusculanas disputationes.*	
		Caesar Idibus Martiis in curia a coniuratis M. Bruto, C. Cassio aliisque interficitur. Coniurati se recipiunt in Capitolium. Dolabella in Caesaris locum cos. sufficitur.	
		Cicero XVI. Kal. Apr. in aede Telluris pacem suadet et discordiarum memoriam oblivione delendam censet. Antonio idem se velle simulante, Caesaris interfectores Capitolio descendunt; M. Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior decernitur. Caesar autem cum funere elatus et ab Antonio laudatus esset, Brutus et Cassius a plebis ira sibi metuentes Urbem relinquunt et Antii et Lanuvii commorantur. Antonius Italiam percursat. Cicero villas suas lustrat; scribitque libros *de natura deorum*, *de divinatione*, *de fato*, *de amicitia*, *de senectute* et *de gloria*. Dolabella columnam in foro a plebe Caesari statutam evertit hominesque seditiosos ultimis suppliciis afficit. C. Octavius, heres Caesaris, Apollonia Neapolim venit XIV. Kal. Maias. Kalendis Iuniis senatores cum in senatu, ut Antonius edixerat, adesse vellent, armorum eius metu perterriti diffugiunt. Cicero villas obit et libros *de officiis* scribere aggreditur. Et cum haberet ius legationis liberae, consilium cepit in Graeciam proficiscendi. Itaque XII. Kal. Sextil. Velia proficiscens, (ubi in ipsa navigatione *Topica* ad Trebatium scripsit) Rhegium et Kal. Sext. Syracusas venit. Inde	

1) Tusc. IV. 29. ad Att. XII. 15. et 36.

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		postero die nave conscensa ventis reiectus ad Leucopetram promontorium agri Rhegini, cum Rhegini quidam Roma venientes ea narrassent, quae spem facerent fore, ut Antonius cederet et Caesaris interfectores Romam redirent, Ciceronem vero desiderari et, quod Urbe abesset, accusari dixissent, profectionis consilio abiecto Romam properat et prid. Kal. Sept. in Urbem venit. Antonius Kal. Sept. senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis. Cicero in senatum non venit, fortasse metuens ab Antonio insidias, misit tamen ad Antonium, qui ei diceret se ex via languere. Antonius in senatu dixit, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum. Postridie Antonio absente Cicero in senatum venit, habuitque orationem, quae dicitur *Philippica prima.* Ob quam Antonius ira incensus inimicitias ei denuntiat eumque a. d. XIII. Kal. Oct. in senatu adesse iubet. Ipse interea per XVII dies in Tiburtino Scipionis declamitans meditatus est orationem, quam XIII. Kal. Oct. in aede Concordiae contra Ciceronem habuit. Cicero in senatu non affuit, metu insidiarum ab amicis prohibitus. Antonii vero orationi opposuit *Philippicam secundam*, non habitam quidem, sed ita conscriptam, quasi eam XIII. Kal. Oct. in praesentem Antonium habuisset. Extremis Octobris diebus et mense Novembri Cicero Puteolanum suum ceterasque villas obit librosque *de Officiis* perficit. Interim Antonius VII. Id. Oct. obviam ivit legionibus quattuor e Macedonia redeuntibus easque sibi conciliare studuit. Brundisium venit VII. Id. Oct. Octavius autem, sive, ut Caesaris hereditate adita nominabatur, *Caesar Octavianus*, veteranos Caesaris excivit, multisque aliis accedentibus iustum exercitum contraxit. Paullo post legiones Martia et Quarta Antonium reliquerunt et ad Octavianum transierunt. Quo nuntio allato Antonius cum senatum in Capitolium a. d. IV. Kal. Dec. vocasset, valde perculsus confestim senatum dimisit et paludatus in Galliam citeriorem discessit. Dec. Brutus autem edictum proposuit, quo se provinciam Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturum pollicebatur. Cicero V. Id. Dec. ad Urbem rediit, cum novi tribuni XIII. Kal. Ian. senatum convocassent, ipse	

Anni U.C.	Ante C.N.		Anni Cic.
		sententiam rogatus ea dixit, quae complexus est *Philippica tertia.* Censuit autem res eas, quas Caesar adolescens egisset, publica auctoritate confirmandas, legiones, quae Antonium deseruissent, laudandas, Dec. Brutum, qui se Antonio in Gallia obiecisset, ornandum. SCto in hanc sententiam facto Cicero in concionem productus populo, quae acta et decreta essent, exposuit *Philippica quarta.*	
711	43	Coss. *C. Vibius Pansa, A. Hirtius.*	64
		Kal. Ianuariis consules rettulerunt de Antonio, qui Brutum Mutinae circumsedebat. Cumque Piso aliique legatos ad Antonium mittendos censuissent, habuit Cicero *Philippicam quintam,* in qua legationem istam ut senatus et populi Romani maiestate indignam dissuasit et, ut hostis iudicaretur Antonius, incubuit. Pridie tamen Non. Ian. factum est SCtum, ut Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur eique denuntiarent, ne D. Brutum oppugnaret, ne delectus haberet; et ut esset in S. P. Q. R. potestate. De eo SCto Cicero, in concionem productus ab Appuleio trib. pl., ad populum rettulit *Philippica sexta.* Paullo post cum Pansa consul senatum de Appia via et de Moneta, unus autem trib. pl. de Lupercis consuluisset, Cicero in sententia dicenda egressus est relationem et (*Philippica septima*) pacem cum Antonio dissuasit, quia turpis esset, quia periculosa, quia esse non posset. Legati ab Antonio (praeter Ser. Sulpicium, qui in legatione obierat) initio Febr. Romam reversi intolerabilia Antonii postulata rettulerunt. Senatus tumultum decernendum censuit, cum belli nomen nonnullis haud placuisset, quod Cicero Idib. Mart. *Philippica octava* reprehendit Fufiumque Calenum de pace agentem aliosque Antonio faventes obiurgavit. Postridie cum de ornando Ser. Sulpicio in senatu ageretur, Cicero statuam pedestrem aeneam in Rostris ei ponendam censuit *Philippica nona.* Postea cum Pansa cos. M. Bruti (s. Q. Caepionis Bruti) litteras publice missas de rebus in Macedonia feliciter gestis recitasset eumque Q. Fufius Calenus oppugnasset, Cicero *Philippica decima* Calenum refutavit et Q. Hortensio Macedoniae procos., qui Brutum in comparando exercitu adiuverat, huius	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		ius provinciae administrationem confirmandam esse censuit. Et cum ante Kal. April. Romam allatum esset de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnae crudelissime verberibus ac tormentis cruciatum interfecerat, isque hostis iudicatus esset, Cicero postridie, cum de imperatore adversus Dolabellam ageretur, *Philippicam* habuit *undecimam*, qua C. Cassium deligendum esse, qui Dolabellam terra marique persequeretur, demonstravit. Eandem rem, productus a M. Servilio trib. pl. in concionem, magna contentione summoque clamore et consensu populi egit. Deinde cum Pansa cos. de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis rettulisset, iique, qui primi sententiam dixerant, hanc legationem P. Servilio et Ciceroni mandandam esse censuissent, Cicero *Philippica duodecima* negavit pacem cum Antonio fieri posse, illamque legationem deprecatus est. Paullo post Pansa consule ad bellum profecto, cum de litteris M. Aemilii Lepidi ad senatum missis ageretur, quibus eum ad pacem cum Antonio faciendam hortabatur, Cicero *Philippica decima tertia* iterum istam pacem dissuasit litterasque ab Antonio ad Hirtium et Octavianum missas recitavit, ita ut singulas eius sententias confutaret. XVII. Kal. Maias Antonius proelio ad Mutinam superatus est, in quo alter cos. Hirtius cecidit, alter Pansa vulneratus est et paucis post diebus Bononiae mortuus. Laeto autem nuntio de victoria Mutinensi Romam allato, Cicero ab ingenti multitudine maximo plausu in Capitolium ductus, in Rostris collocatus, inde domum reductus est. Prid. Vinalia X. Kal. Maias Cicero habuit *Philippicam decimam quartam*, qua trium ducum Hirtii, Pansae, Caesaris Octaviani nomine quinquaginta dierum supplicationem decernendam, militibusque, qui pro re publ. interierint, monumentum faciendum censuit. IV. Kal. Iun. M. Lepidus se cum Antonio post proelium Mutinense Alpes transgresso coniunxit et prid. Kal. Quint. hostis iudicatus est. Paullo post Caesar Octavianus causam optimatium deseruit Antoniumque et Lepidum in Italiam arcessivit, et cum Q. Pedio consul creatus X. Kal. Oct. consulatum adiit. Deinde pace facta inter Caesarem Octavianum, Antonium et Lepidum, apud confluentes inter Perusiam et Bononiam congressos,	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		convenit, ut ipsi triumviri rei publ. constituendae per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberet. Itaque Antonius in Ciceronem, qui Urbe relicta Asturam confugerat, percussores immisit Herennium centurionem et M. Popilium Laenatem, a quibus VII. Id. Decembres interfectus est. „Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est aut ab ullo Cicero proscriptus est abscisaque scelere Antonii vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio;) nihil, inquam, egisti, mercedem caelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam rei publicae tantique cos. invitando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam; dumque hoc vel forte vel providentia vel utcunque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur; citiusque in mundo genus hominum quam (huius nomen) cadet." *Vell. Pat. II.* 66.	

TABULAE

KALENDARIUM ROMANORUM VETUS

QUALE FUIT AB A. U. 691. USQUE AD A. U. 709.

COMPARANTES

CUM FORMA ANNI IULIANA.

AD ILLUSTRANDAS CICERONIS EPISTOLAS

COMPOSUIT

M. GUILIELMUS FERDINANDUS KORB.

PRAEFATIO.

Cum nuper in libello, quem de chronologia Flavii Iosephi totiusque historiae Hebraicae editurus sum, elaborando ad ea tempora pervenissem, quibus res Iudaeorum a Romanis pendere coeperunt, ideoque mihi accuratius inquirendum esset etiam in eam historiae Romanae partem, quae a Pompeio Hierosolyma expugnante usque ad Vespasiani Titique tempora pertinet, vix aliter fieri potuit, quam ut animum ad eam quoque quaestionem adverterem, quae est de veteris kalendarii Romani forma, qualis fuerit per annos annum ab Urbe condita 708., qui fuit confusionis ultimus, proxime antecedentes. Quam quidem quaestionem nemo profecto erit, qui curiosam atque inutilem esse iudicet, si reputaverit secum, accurata illorum temporum cognitione quanta lux oritura sit cum omni historiae Romanae, tum innumerabilibus veterum scriptorum, Ciceronis maxime, locis, qui nunc sunt difficiles atque obscuri.

Idelerus autem, vir de omni chronologia immortaliter meritus, in egregio libro, quem inscripsit *Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie*, *Tom II. pag.* 115 *sq.*, *Nauzium*[1] maxime secutus, tabulam exhibuit, secundum quam Kalendae Ianuariae inde ab A. U. 691. usque ad 709. in hosce anni Iuliani dies inciderint:

A.	U.	691.	in	diem	14.	Martii	anni	ante	Chr.	63.
»	»	692.	»	»	4.	»	»	»	»	62.
»	»	693.	»	»	22.	Februarii	»	»	»	61.
»	»	694.	»	»	11.	»	»	»	»	60.
»	»	695.	»	»	1.	»	»	»	»	59.
»	»	696.	»	»	22.	Ianuarii	»	»	»	58.
»	»	697.	»	»	12.	»	»	»	»	57.
»	»	698.	»	»	1.	»	»	»	»	56.
»	»	699.	»	»	22.	Decembris	»	»	»	56.
»	»	700.	»	»	12.	»	»	»	»	55.
»	»	701.	»	»	2.	»	»	»	»	54.

1) *de la Nauze*, le calendrier romain depuis les décemvirs jusqu'à la correction de Jules-César. (Mémoires de l'Académie des Inscriptions, tom. XXVI.)

A.	U.	702.	in	diem	21.	Novembris	anni	ante	Chr.	53.
„	„	703.	„	„	3.	Decembris	„	„	„	52.
„	„	704.	„	„	23.	Novembris	„	„	„	51.
„	„	705.	„	„	13.	„	„	„	„	50.
„	„	706.	„	„	2.	„	„	„	„	49.
„	„	707.	„	„	23.	Octobris	„	„	„	48.
„	„	708.	„	„	13.	„	„	„	„	47.
„	„	709.	„	„	1.	Ianuarii	„	„	„	45.

Et id quidem omni dubitatione caret, A. U. 708. Kalendas Ianuarias incidisse in diem 13. Octobris. CENSORINUS enim de die natali: „Adeo aberratum est, inquit, ut C. Caesar pontifex maximus suo III. et M. Aemilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem et Decembrem interponeret, cum iam mense Februario dies tres et viginti intercalasset; faceretque eum annum dierum CDXLV., simul providens in futurum, ne iterum erraretur. Nam intercalario mense sublato annum civilem ad solis cursum formavit. Itaque diebus CCCLV. addidit X, quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Ianuario et Sextili et Decembri bini accederent, ceteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cuiusque mensis a loco submoverentur. Quapropter nunc cum in septem mensibus dies singuli et triceni sint, quattuor tamen illi ita primitus instituti eo dinoscuntur, quod Nonas habent septimanas, ceteri quintanas."

Veteres autem chronologi, Scaligerum dico, Petavium et qui hos duumviros sequuntur, in ea sententia sunt, ut opinentur, eandem anni confusionem, quae fuit A. U. 708., iam A. U. 691. fuisse et ab hoc inde anno intercalatis altero quoque anno viginti duobus aut viginti tribus diebus neque auctam esse neque diminutam.[1] A quibus dissentit Nauzius, ab A. U. 691. usque ad 708. non nisi semel inter-

---

1) Cfr. Scaliger de emendat. temporum lib. II. pag. 177: „Temporibus Ciceronis, cum Iulius emendationem suam aggressus est, sine dubio idem fuit caput Ianuarii, nempe circiter XIII. aut XIIII. Octobr. Quare lib. II. (ep. 3.) ad Quintum fratrem ita scribit: *Cura, mi frater, ut valeas et quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites.* Scribebat XV. Kal. Martias. Sequenti epistola scribens post III. Id. Martias, *Spero*, inquit, *nos ante hiemem contubernales fore.* Si Martius est hibernus, Ianuarius fuit autumnalis. Attico scribens post Martium (lib. VIII. ep. 3. scripta sec. Schützium a. d. X. Kal. Mart. A. U. 704.): *Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est.* Ecce hiems maxima post Martium. Eodem libro (immo lib. IX. ep. 3.): *Non esse nobis faciles ex Italia exitus, cum ea tota armis praesidiisque teneatur, hieme praesertim.* Scripsit hanc post illam superiorem. Libro sequenti ait milites in hiberna deduci mense Aprili. Et libro V. (ep. 14. scr. IX. Kal. Sext. 702.) a Sextili incipit putare menses aestivos. Tanto intervallo abfuit finis anni Romani a priscis metis brumae. Postremo idem (ad Attic. lib. X. ep. 17. scr. 704.) scribens ex a. d. XVII.

calatum esse putans, quia per totum illud tempus nullum est intercalationis vestigium, nisi A. U. 702., quo intercalatum esse constat ex Asconio Pediano, qui in Commentar. in Ciceronis orationem pro Milone pag. 186. Ed. Lugd. Batav. 1644., Ed. Baiteri p. 37. Pompeium ab interrege Servio Sulpicio V. Kalendas Martias mense intercalario consulem creatum esse memoriae prodidit. Errasse autem Scaligerum et Petavium bene et accurate demonstravit Idelerus tom II. pag. 110., his verbis: *Dass, wenn auch* de la Nauze *nicht bis auf den Tag Recht, doch seine Vorgänger entschieden Unrecht haben, geht meines Erachtens unwidersprechlich aus den Zeitumständen der catilinarischen Verschwörung hervor. Aus der Rede* pro P. Sulla *ersehen wir, dass Catilina und seine Mitverschworenen ihre Plane in der Nacht verabredeten*, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembr., *also in der zum 7. November. Am 8. hielt Cicero die erste seiner noch vorhandenen Reden gegen ihn und am folgenden Tage die zweite. In der letztern nun sagt er* (cap. 10): Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, *his praesertim noctibus?* quo autem pacto illi Apenninum *atque illas pruinas ac nives perferent? Diess passt schlecht auf die letzte Hälfte des August, in die der 9. November gehört haben müsste, wenn der 1. Ianuarius des verschobenen römischen Kalenders dem 13. October des julianischen entsprochen hätte.* Dio Cassius *ferner berichtet* (XXXVII, 39.), *Catilina sei gleich im Anfange des Jahrs, in welchem Julius Silanus und L. Licinius Consuln gewesen (692 d. St.), vernichtet worden, also nach der gewöhnlichen Ansicht bis zur Mitte des Octobers, und doch sagt Cicero in seiner Rede* pro P. Sestio c. 5: Si M. Petreii non excellens animus et amor rei publicae, . . . non summa auctoritas apud milites . . . fuisset, *datus illo in bello esset hiemi locus*, neque unquam Catilina, *cum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset*, atque aestatem integram nactus Italiae calles et pastorum stabula popul ari coepisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset. *Alles dies stimmt, wie man sieht, sehr gut zu* de la Nauze's *Ansicht, dass der römische Kalender damals um dritthalb Monate retardirte; denn der kurze gegen Catilina unternommene Feldzug trifft hiernach auf den Februar. Auch gehen obige Verse des Cicero*[1]

Kal. Iun. ait se aequinoctium moratum esse, quod valde perturbatum erat; ut appareat, illis temporibus Ianuarium Romanum in Octobrem Iulianum incurrisse." Haec quidem Scaliger: quid vero de his locis statuendum sit, infra docebitur.

1) De Divin. I, 11: Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit et subito stellanti nocte perempta est.

offenbar auf eine totale Mondfinsterniss, nicht zu gedenken, dass die Feriae Latinae, *mit denen er dieselbe in Verbindung bringt, als ein auf dem hohen* Mons Albanus *gefeiertes Volksfest der Einwohner Latiums, schicklicher in den Mai als in den November zu setzen sind.*

Sed quamquam haec rectissime ab Idelero disputata sunt, tamen nihil aliud ex illis Ciceronis locis sequitur quam errasse Scaligerum et Petavium, Kalendas Ianuarias A. U. 691. in diem 13. vel 23. Octobris incidisse putantes. Superest igitur, ut demonstrem, ne uno quidem die a vero aberrasse Nauzium, Kalendas istas Ianuarias diem 14. Martii A. a. Chr. 63. fuisse asseverantem. Quod mea quidem sententia ex iis demonstrari potest, quae de die natali Augusti apud Suetonium exstant. De quo idem Idelerus disserens non solum in magnum, quod mireris, errorem incidisse mihi videtur, sed etiam praetermisisse id, in quo cardo rei vertitur. Iis enim, quae supra adscripsimus, haec addit: *Noch eine Bestätigung erhält diese Ansicht durch den Horoskop des August, der sich nach der Stellung, die man sonst den römischen Monaten während Cicero's Consulat gab, nicht befriedigend erklären lässt. Dieser Gegenstand, der zu vielen Streitigkeiten Anlass gegeben hat, verdient hier eine Erörterung. — August wurde nach* Suetonius (August. c. 5.) M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss. IX. Kal. Octobr. „paullo ante solis exortum" *geboren. Hier fragt sich zuvörderst, ob der 23. September des damaligen verschobenen römischen Kalenders oder des julianischen gemeint sei. Letzteres nimmt Dodwell* (de Cyclis X, 3.) *an, voraussetzend, dass August das römische Datum seiner Geburt auf den späterhin von Cäsar rectificirten Kalender reducirt habe. Für diese Meinung spricht die Lebensdauer, die wir ihm beigelegt finden; denn vom* 23. *julianischen September des Jahres* 691 *d. St. bis zum* 19. *August* 767, *wo er starb, verfliessen* 76 *Jahre weniger* 35 *Tage, die ihm Suetonius* (c. 101) *oder* 75 *Jahre,* 10 *Monate,* 26 *Tage, die ihm* Dio Cassius (LVI, 30.) *gibt. Es ist aber weit wahrscheinlicher, dass der* 23. *September des alten Kalenders nach Einführung des neuen unverändert als der Geburtstag des Imperators beibehalten wurde, und die beiden Geschichtschreiber hiernach seine Lebensdauer berechnet haben, ohne sich um den gewiss schon damals schwer zu bestimmenden Sitz dieses Tages im julianischen Kalender zu kümmern. Dies ist auch Scaliger's und Petavius Meinung. Nun erzählt Suetonius*

Qui Kalendas Ianuarias A. U. 691. in diem 13. Octobris incidisse putant, non possunt quin dicant, Ciceronem loqui de luna die 7. Novembris A. a. Chr. 64. ex parte obscurata. Nauzius vero totius lunae obscurationem die 14. Maii A. a. Chr. 63. factam intelligendam esse censet.

(c. 94), *August habe sich von dem Mathematiker (Astrologen) Theogenes die Nativität stellen lassen und so viel Vertrauen zu dessen Verkündigungen gefasst*, ut thema suum volgaverit nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit. *Dergleichen Münzen sind noch mehrere vorhanden. Der Horoskop des August, d. i. das in der Stunde seiner Geburt aufgehende Zeichen des Thierkreises, war also, wenn anders Theogenes richtig gerechnet hatte, der Steinbock. Wie ist aber dieses Zeichen und die Frühstunde, in der die Geburt geschehen sein soll, mit dem Iulius zu vereinigen, auf den damals nach der gewöhnlichen Annahme der 23. römische September traf?* Scaliger (Emend. temp. lib. V. pag. 443) *durchhauet den Knoten, indem er den* Suetonius *in der Angabe der Tagszeit eines Irrthums beschuldigt, und die Geburt auf den Abend setzt. Alles hingegen geht klar auseinander, wenn wir der Ansicht des französischen Gelehrten beitreten. Nach dieser traf der 23. römische September auf den 28. julianischen November, und erwägen wir, dass die Römer die Aequinoctien und Solstitien auf die achten Grade der entsprechenden Zeichen setzten, so werden wir keine Schwierigkeit finden, den Aufgang des Steinbocks mit der* ante solis exortum *erfolgten Geburt des Imperators zusammenzubringen.*

ϵ * — opera omnium quae hactenus excusa sunt castigatissima nunc primum in lucem edita. Venetiis, in officina Lucae Antonii Iuntae 1534—1537. 4 Vol. Fol.

Vol. I. Rhetoricorum in indice habet a. **1537.** *in fine:* Mense Augusto **1536.** *f.* 4. *Praef. pagg.* **366.** *f.* 1. *cum lilio.* Index omnium qui hactenus excusi sunt locupletissimus et castigatissimus eorum quae digna notatu visa sunt. Venetiis *cet.* **1536.** *f.* **46.** Petri Victorii Explicationes suarum in Ciceronem castigationum. Venetiis **1536.** *f.* **80.**

Vol. II. Secundus Tomus. M. T. Ciceronis orationes habet ab Andrea Naugerio patritio Veneto summo labore ac industria in Hispaniensi Gallicaque legatione excussis permultis bibliothecis et emendatiores multo factas, et in suam integritatem ad exemplar codicum antiquorum longe copiosius restitutas. Venetiis in off. L. A. Iuntae post Germanam Gallicamque editionem (*i. e. post Cratandrinam et Ascensianam*) **1534.** *In fine:* **1534.** mense Decembri. *f.* 8. *Praef. pagg* **840.** *f.* **2.**

Vol. III. Tertius Tomus. M. T. C. epistolarum libros continet, ex pervetustis exemplaribus accuratissime post omnes, quae hactenus editae sunt, excusiones recognitarum. **1536.** *In fine:* **1535.** *f.* **2.** *Praef. pagg.* **554** *et f.* **5.**: Sex epistolae ad Brutum nunc primum a Germanis (*Ed. Cratandr.*) inventae, quae num Ciceronis sint, legentium (*non:* elegantium: *ut est apud Schweig.*) iudicio videndum relinquitur.

Vol. IV. Quartus Tomus, in quo M. T. C. opera philosophica nuper ad fidem vetustissimoR exemplarium diligentissime recognita. **1536.** *f.* **2.** *Praef. pagg.* **530.** *f.* **1.** **RR.**, praesertim in Germania.

Nova recensio maximam partem a Petro Victorio curata. In Epistolis praesertim elaboravit Codicibus Mediceis consultis, ut correctius ederentur; at cum 1558 et 1571 hanc curae suae partem primariam denuo retractarit, hoc certe volumen minorem praebet usum criticum, quam orationum συλλογή, de qua consulenda est Garatonii Praefatio ad Orationes. Cum tamen ibi aliquid loci relictum sit dubitationi, totam rem ita expediendam esse duco, ut Iunta re vera (auctore Nizolio) „*usus sit exemplari correctissimo Andreae Naugerii* (Oratt. scilicet Ed. Aldina 1519.), *quod olim* (ante annum 1529, quo mortem obiit:) *vir ille eruditissimus et scriptorum Ciceronis studiosissimus manu propria ex variis et antiquis codicibus innumeris in locis castigaverat ac multis partibus auxerat repertis aliquot orationum membris, quae in bibliothecis antiquis iamdiu a nemine visa nec*

lecta delituerant." Pertinet hoc maxime ad Sestianam e Codice prorsus diverso ab iis, quibus usi sunt Tusanus et Hervagius, redintegratam. Praefuit autem operis Io. Baptista Rhamnusius, a quo in indice videtur iniecta mentio etiam Cratandrinae, quam vix oculis usurparat ipse Naugerius; qua de re satis constat ex epistola quadam P. Bembi a. d. VIII. Id. Mart. 1533 ad Rhamnusium missa, in qua haec leguntur: „*Delle due stampe delle Orazioni di Cicerone più assai mi piace la più grande* (duplex igitur suscipiendae editionis specimen Rhamnusius eum Bembo communicarat, quo is, utrum praeferendum esset, indicaret:) *che è nel vero molto più bella, ed io per me vi saprei consigliare di stamparle in quella; chè non è conveniente in questa opera così cercata da ognuno, e nuovamente tanto più corretta e più piena delle altre, e con la cura di M. ANDREA, tanto uomo, usar poca diligenza, o guardar più spesa.* Cfr. Andreae Naugerii opera omnia, curantibus Io. Antonio et Caietano Vulpiis. Patavii 1718. 4. pag. 426. Utrum Rhamnusius ipse quoque critici partes interdum egerit, prorsus incertum est. In exemplari Bibl. Reg. Paris. a. 1810 inventum est supplementum fol. 8. ternarum columnarum literis inclinatis impr. hoc cum indice: „Variae lectiones collectae hoc anno 1538 ex antiquis exemplaribus in orationibus M. T. Ciceronis, quae leguntur in secundo tomo editionis Lucae Antonii Iuntae." Unicum hoc exemplar adhuc notum cum Hasii V. C. benignitate a Iulio Berger de Xivrey V. C. accuratissime mihi descriptum esset, repetendum curavi in Cic. Opp. Vol. II. P. 2. p. 612—634. Insunt etiam Pantagathi (proprie Bagatti, Brixiani, mortui a. 1567.) coniecturae.

∈ * — **Opera ed. Rob. Stephani. Parisiis 1538—1539. Fol.**
Meum exemplar tribus voluminibus constans sic se habet:

Vol. I. **M. T. Ciceronis Opera. Ex Petri Victorii codicibus maxima ex parte descripta, viri docti et in recensendis authoris huius scriptis cauti et perdiligentis; quem nos industria, quanta potuimus, consequuti, quasdam orationes redintegratas, tres libros de legibus multo quam antea meliores, et reliquias de commentariis, qui de republica inscripti erant, magno labore collectas undique, descriptasque libris, vobis exhibemus. Parisiis, ex off. Rob. Stephani. 1539. Fol.** *f.* **8.** *Praefut.* — **Rhetorica. 1538.** *pagg.* **288. — Epistolae. 1538.** *pagg.* **416.**

Vol. II. — **Orationes 1539.** *pagg.* **640.** *Tum:* **«Iam Rhetoricos M. Tullii confeceramus, cum allatum est nobis exemplar Venetum a P. Victorio docto homine in primis, et in hoc genere solertiss. emendatum, quod deinceps perpetuo sequuti sumus. Et quod unum in his libris qui iam descripti a nobis erant, relinquebatur, ut eos cum Victorianis componeremus, varietatesque separatim describeremus, utrumque nos diligenter fecisse, ex hoc quem subiiciemus indice poteritis cognoscere."** *f.* **3.** *non num. In fine:* **Excudebat Robertus Stephanus Parisiis, Ann. M.XXXIX. (*sic*) Idib. Augusti.**

Vol. III. — **Philosophica. 1538.** *pagg.* **450.** *f.* **1.** *non num.* **Petri Victorii Explicationes suarum in Ciceronem castigationum. — 1538.** *pagg.* **158. In omnia M. Tullii Ciceronis opera Index locupletissimus.** *f.* **50.** *non num.*

Volgo habent pro mera Victorianae repetitione, adeo ut Gruterus haud raro Rob. Stephani lectionem tamquam Victorianam afferat, unde multi et graves errores nati sunt. Sed rhetorica omnia et libri de legibus prorsus differunt a Victoriana, et in ceteris quoque scriptis passim nonnulla mutata sunt.

є † **Opera Marci Tullii Ciceronis quotquot ab interitu vindicari summorum virorum industria potuerunt cum veterum exemplarium, tum recentiorum collatione restituta. Ex recognitione Ioachimi Camerarii Pabergensis elaborata: cuius et locorum aliquot praecipuorum annotationes subiunguntur. Accesserunt castigationes Petri Victorii, rerum et verborum index copiosus, Annotationes quoque variorum codicum ad eum modum tractatae, ut perficiendo operi nulla in praesentiarum fieri possit accessio. Basileae, ex off. Hervagiana. 1540. 4 Tomi. (*interdum, ut exemplar Turicense*, 5 Vol.) Fol.**

Magna cum cautione adhibenda haec est Editio, quippe quae exhibeat lectionem mixtam ex Hervagiana et Victoriana, ut constat ex his Camerarii ipsius verbis: „Ego quidem suscepto recognitionis cuiusdam scriptorum Ciceronis labore, quotquot potui exempla illorum conquisivi, sed ea omnia fuere nova, in maxima vetustate. Inter haec unum recentissimum nacti sumus, sed optimum; quippe quod ad prisca quaedam descriptum et luculentis annotationibus illustratum esset a P. Victorio, doctissimo, ut res probat, viro: quo plurimum in diversitate lectionis et scripturae varietate annotanda usi sumus. Etsi autem priora interdum retinuimus secuti rationem et iudicium nostrum, illius tamen libri quem Venetum quodam insigni nomine placuit appellare, testimonio in plerisque fidem habuimus et illius auctoritatem sumus secuti." Hoc monitum non attendentes VV. DD. nonnulli Venetum Camerarii exemplar pro nescio qua Editione antiqua Sec. XV. habuerunt.

— opera ex Petri Victorii castigationibus. His accesserunt castigationum eiusdem Victorii explicationes ac Ioach. Camerarii annotationes. Lugduni, Seb. Gryphius 1540. 9 Vol. 8.

Praecedentis repetitio.

є **— (*opera, corrigente Paulo Manutio.*) Venetiis, apud Aldi filios 1540—1546. 9 Vol. 8.**

Concinnanda est haec Editio ex his singulis partibus: Cic. Rhetorica. Venetiis, apud Aldi filios. 1546. — Orationes. Ibid. 1540. 3 Vol. — Epistolae familiares. Ibid. 1540. — Epistolae ad Atticum, Brutum et Q. fratrem. Ibid. 1540. — De philosophia Partes II. Ibid. 1541. — Offic. libri, Cato, Laelius cet. Ibid. 1541. Prima Cic. Opp. integra Editio a P. Manutio curata haec est, quae praebet novam recensionem e Codd. Italicis, Edd. vett. et coniecturis constitutam. Cum in posterioribus usque ad Ed. a. 1582. sive Aldi Nepotis multa semper immutata sint, magna confusio ex eo nata est, quod editores alii alia Manutiana usi sunt.

— — Editio post Naugerianam et Victorianam emendata a Io. Sturmio. Argentorati, apud Wendelinum. 1540. 9 Vol. 8.

„Paginarum numeri et versuum Aldinis respondent. Eadem post postremam Naugerii et Victorii emendata a Io. Sturmio 1548, 1557,

1571, 1574, 1578 apud Ios. Rihelium repetita est." Bipontini. Quod iidem addunt: „orationes pro Sestio et Ligario, uti Aldina II., integriores exhibet": sciendum est Ligarianam iam in Ascensiana prima integram reperiri.

— opera (*sine indice generali:*) Parisiis, Rob. Stephanus **1543—44. 9 Vol. 8.**

Constat ex iisdem partibus, quibus Manutiana. Maximam partem hanc exprimit, nisi quod orationes e Codd. emendatae dicuntur. Continet etiam Manutii Scholia. In hac Ed. Rob. Stephanus primum eas litteras inclinatas adhibuit, quibus postea tam crebro usus est.

— opera. Parisiis, Sim. Colinaeus **1543—47. 10 Vol. 8.**

Nitida Stephanianae 1543 repetitio. In Ernestii Praef. Cic. pag. XXXIII. per errorem refertur ad a. 1553.

— Lugduni, Seb. Gryphius **1546—48. 10 Vol. 12.**

Itidem Stephanianae repetitio.

€ — — Venetiis, apud Aldi filios **1546—48. 8.**

Constat ex iisdem partibus, quibus Ed. Aldina 1540. Tamquam decimum et undecimum volumen adiungi solent: Asconius Pedianus cum scholiis P. Manutii. Ibid. 1547. 8. atque P. Manutii commentarius in epistolas Ciceronis ad Atticum. Ibid. 1547. 8.

€ * **Opera M: Tullii Ciceronis. Parisiis, apud Carolum Stephanum, Typographum Regium 1555. 4 Vol. Fol.** *Pleraque exemplaria Vol. II. ligata sunt, veluti meum et Bibl. Civ. Turic. Vol. I. Index supra descriptus f.* **12.** *non num. Praef. et Plutarchi vita Ciceronis.* Tomus primus operum M. Tullii Ciceronis. (*Rhetorica singulatim enarrata.*) Variae lectiones ex permultis antiquiss. ac manuscriptis exemplarib. quibus prior lectio (si quid ab ea immutatum est) nonnullaeque doctiorum coniecturae adiunctae sunt. Index *cet.* Lutetiae, apud C. Stephanum **1554.** *pagg.* **338.** *Index per errorem num. pagg.* **139—172.** *pro* **339—372.** *In fine:* Excudebatur Lutetiae, cura ac diligentia Caroli Stephani ann. M.D.LI. III. Non. Septembr. — Tomus secundus operum M. T. C. omnes eius orationes complectens. Variae lectiones — — adiunctae sunt. Lutetiae, apud C. Stephanum **1554.** *pagg.* **762.** *f.* **1.** — *Vol. II.* Tomus tertius operum M. T. C. omnes eius epistolas complectens *cet.* Variae lectiones — — adiunctae sunt. Index *cet.* Lutetiae, apud C. Stephanum **1554.** *pagg.* **572.** — Tomus quartus operum M. T. C. philosophicos eius libros complectens. Variae lectiones — — adiunctae sunt. Index *cet.* Lutetiae, apud C. Stephanum **1554.** *pag.* **670.** *f.* **1.** *In fine:* Excudebat Carolus Stephanus, typogr. regius, Parisiis, ann. M.D.LV. III. Cal. Martii.

Editio ad χρῆσιν perquam necessaria propter lectiones e Codd. Gallicanis partim receptas, partim in Var. Lectt. exhibitas. Quam inique de Carolo Stephano iudicarit Ernestius, quaeque illius merita de Cicerone fuerint, scite demonstravit Zumptius in Praefat. Verrin. p. XII., qui omnino accuratius quam priores omnes eius copiis usus est. Tamquam tertium volumen adiungendus est: * Thesaurus M. Tullii Ciceronis. Parisiis apud Carolum Stephanum 1556. Fol. *In fine:* Excu-

debat Carolus Stephanus typographus regius, Parisiis ann. M.D.LVI. IIII. Cal. Novemb. *fol.* 4. *pagg.* 1591.: cura a Nizoliana prorsus diversa atque etiamnunc utilis, ubi cetera lexica nos destituunt.

— opera. Lugduni, Seb. Gryphius 1555 *et* 1559. 9 Vol. 8. (Schweiger.)

An eadem est, quae ab Harlesio in Suppl. ad brev. notit. P. I. p. 170. sic affertur: ex Ed. Aemilii Ferreti. Lugduni apud Seb. Gryphium 1553. 6 Vol. (sine formae nota.)?

† — Opera. Accessere Petri Victorii castigationes, harum explicationes: Paulique Manutii, et Ioachimi Camerarii, atque Hieronymi Ferrarii Adnotamenta. Omnia quidem studio Ioannis Boulierii emendata. Lugduni, apud Io. Frellonium 1562. 12 Vol. 8. (*non 12., ut est apud Schweigerum.*)

Duo postrema volumina amplectuntur *Adnotamenta*. Exigui pretii Editio, quae nullum certum sequitur exemplum. Hanc tamen vel similem antiquam volgarem potissimum secutus est is, qui primus curavit Repetitiones Lambinianas.

є * — Opera omnia, quae exstant, a Dionysio Lambino Monstroliensi ex codicibus manuscriptis emendata et aucta. Eiusdem Dionysii Lambini annotationes, seu emendationum rationes singulis Tomis distinctae. Index rerum et verborum memoria digniorum copiosus et locuples, singulis Tomis adiectus. Et fragmenta omnia, quae exstant, a viris doctis non ita pridem undique collecta. (*Ancora Aldina.*) Lutetiae, apud Bernardum Turrisanum, sub Aldina bibliotheca, via Iacobaea. 1566. (*in Tomi secundi indice* 1565.) 4 Vol. Fol. max. RR. *Alia exemplaria minoris apud βιβλιογίλους pretii*, *sine ancora Aldina redemptorem prae se ferunt* Iacobum a Puteo (Dupuys.) *Huiusmodi est Bernense, cuius margini varias lectiones et coniecturas ascripserunt Cuiacius et Bongarsius saepe a me memoratas. In fine Tomi quarti haec leguntur:* Lutetiae, excudebat Floricus Pracuotius 1566 mense Februario, sumptibus Iac. a Puteo, Bern. Turrisani, Ph. Galt. Ronilly.

De permagno splendidae huius Ed. ad rem criticam usu cfr. quae scripsi in Praefatione. Nec tamen de eius meritis quasi per saturam iudicium ferri posse satis demonstrant, quae de Verrinarum recensione accurate disputavit Zumptius in Praef. p. XIV. seqq. Sed in singulis libris partim conferendae erunt singulae editiones meliores Lambinianam proxime praecedentes, veluti Ascensiana Orationum 1531., Victoriana, Stephaniana, Manutianae cet., partim investigandi codices, quibus in singulis scriptis uti potuit. Sic in Epistolis ad Familiares haud magni momenti sunt, quae praestare tentavit; contra, quia praesto erat optimus Cod. Tornaesianus, egregiam iam ante Bosium operam navavit Epp. ad Atticum. — Iniquior interdum fuit Lambinus in Victorium, veluti ad Atticum Lib. I. Ep. 15. p. 4009. Ed. 1580. „Multa quoque, inquit Beckius Praef. p. XXXII. fuit de emendatione locorum nonnullorum e Cod. Lambini disceptatio cum Adriano Turnebo, qui praecepisse eas in Adversariis videbatur. Cfr. Lamb. ad Verr. 4., 53. extr. et 64." Ceterum cum inter primarios Tullii Criticos referri debebat

Lambinus, vitam eius in volgus minus notam, a Petro Lazerio scriptam appendicis loco huic indici subiecimus.

— — opera. Cum annotationibus Dionysii Lambini, viri doctiss. singulis tomis distinctis. Venetiis, ex Bibliotheca Aldina 1569—1570. 9 Vol. 8.

Huius curator, Hieronymus Turrisanus, Andreae Asulani (Renouardo Aldi avi) nepos, Francisci filius, qui se Paulli Manutii patruelem dicit, Aldinum quidem Paulli contextum reddidit, sed vitam Ciceronis a Lambino conscriptam praemisit et cuique volumini Lambini annotationes adiecit. Servatur ea in Biblioth. Bipont. Ducali." BIPONTINI. Renouard tamen (*Annales des Alde Vol.* 2. *p.* 75.) Opera philosopha nunquam cum vidisset, dubitavit, num unquam a Turrisano edita sint, octo duntaxat volumina, indicem communem non habentia recensens.

ϵ * — — opera a Ioan. Michaële Bruto emendata. Accesserunt breves animadversiones ex doctissimorum hominum commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, ut vulgo receptae lectionis ubique ratio habeatur. Lugduni, apud Antonium (*non* Sebastianum, *ut est apud Schweigerum:*) Gryphium 1570—1571. 9 Vol. 16. (*certe meum exemplum: non* 8., *ut est apud Schweigerum.*)

Brutus, vir eleganti sane iudicio praeditus, in plerisque Lambinum sequitur. In Rhetoricis ad Herennium, in libris de Inventione, in Topicis, in Academicis perbonos Codd. Gryphianos consuluit. Cfr. de tota eius ratione ipsius Epp. Berol. 1699. p. 602.

Notandus est hoc loco mirus error P. Burmanni secundi, quo decepti sunt etiam Bipontini. Scilicet in Praef. ad Rhetorica p. 46. Ed. Lindem. haec scripsit: „Contextum illorum Ciceronis operum, quae ipse edidit Graevius, ad splendidam atque emendatissimam Petri Victorii editionem, quae Florentiae apud Iuntas anno 1571. prodiit et hodie rarissima atque in paucorum manibus est, conformavit." At hoc valet dumtaxat de altera Victoriana Epp. ad Atticum, Florentiae 1571. 8.: ut notavit iam Ernestius in Praef. p. XXVIII.

ϵ — opera omnia, quae exstant a Dionysio Lambino Monstroliensi ex codicibus manuscriptis emendata et aucta. Eiusdem D. Lambini annotationes, seu emendationum rationes, singulis tomis distincta Fragmenta — — posita (*ut in Ed.* 1566.) Ex postrema recognitione. Lutetiae Paris., Ioan. Benenatus 1572—73. 9 Vol. 8.

Cfr. Praefationem meam p. X. Cum nimis quererentur viri docti de Lambini temeritate in mutando contextu volgato (cuius querelae vestigium reperitur etiam in Bruti indice) exstitit, qui rem ita componeret, ut pessimam aliquam, (Boulierii, uti suspicor ex nonnullis erroribus typographicis) recensionem sequeretur, eique in margine apponendam curaret partim Codicum lectiones partim Lambini emendationes, ita tamen, ut e Curis eius secundis multa adderentur, alia, quorum ipsum poenituerat, silentio praetermitterentur, augerentur item Lambini annotationes. Tota autem res parum diligenter administrata est, ut nonnulli arbitrantur, a Germano Lambino, Dionysii filio, qui item praefatus est patris Plauto, Lutetiae, apud Io. Macaeum 1576.

Fol. Complures errores ex hac editione eiusque repetitionibus transierunt in Gruterianam, Gronovianam, Ernestianam. Nihilominus criticis magno usui est, ut demonstravit Zumptius in Praef. Verr. p. XV.

— opera. Lugduni, Antonius Gryphius **1579.** **9** Vol. **16.**

Cum indice communi careat, ut Turrisaniana et aliae ex singulis partibus componenda est.

€ * — *(Index, ut in Repet. Lamb.* **1572:**) *nisi quod absunt vv.* et aucta.) *(Genevae)* Apud Petrum Santandreanum **1580.** **9** Vol. 8.

— — — Argentorati **1581.** **9** Vol. 8.

Repetitiones Ed. 1572.

€ * **M. Tullius Cicero Manucciorum** *(sic)* **Commentariis illustratus antiquaeq. lectioni restitutus. Ad ill**mum **et exc.**mum **Vespasianum Gonzagam Columnam Ducem Sablonetae etc. Venetiis 1582. apud Aldum. 10 Tomi** *(plerumque in 4 Voluminibus.)* Fol. **RR.**

Meum certe exemplar in primo indice clare exhibet a. 1582. Bipontini, Renouard *(Annales des Alde Vol. 2. p. 136.)*, Schweigerus referunt ad a. 1583., cuius Kal. Ianuariis utique data est dedicatio ad Gonzagam; et cetera volumina prae se ferunt a. 1583. Ceterum singula volumina prius separatim edita et divendita sunt, ac tum demum in unum corpus coniuncta scil. 1578. Oratt. T. 1. = corporis 3. 1579. Oratt. T. 2. et 3. = corp. 4. et 5. 1579. Epp. familiares = corp. 6. 1581. de Officiis = corp. 10. 1582. Epp. ad Atticum = corp. 7. 1583. Rhetorica = corp. 1. et 2. 1583. Philosopha = corp. 8. et 9. Sequitur postremas quasque Paulli Manutii editiones, nisi quod innumerabilibus mendis referta est et in contextu et in commentariis, adeo ut magna cum cautione ea nobis utendum sit. Continet P. Manutii commentarios ad orationes et epistolas ex postrema eius recognitione; neutiquam vero, ut dicunt Ernestius et Schweigerus, ad libros etiam de Officiis. In reliquis Aldus Nepos, nisi ubi Codd. aliquot contulit, veluti in libris de Officiis, in Catone, Laelio, Paradoxis et Somnio Scipionis fecit, aut ubi Patris Scholia minora inserit, impudentissime tacitis nominibus priores interpretes, Toxitam, Strebaeum, Corradum, Betuleium, Wolfium, alios exscripsit.

€ † — **Opera omnia quae exstant, a Dionysio Lambino Monstroliensi ex codicibus manuscriptis emendata. Eiusdem Dionysii Lambini Annotationes seu emendationum rationes postremae. Fulvii Ursini Romani Notae. Fragmenta omnia Ciceroniana a Lambino et aliis collecta: Consolatio, Ciceroni a nonnullis adscripta. Indices longe omnium copiosissimi. Postremo, ut facilius et commodius haec editio ad Nizolii Thesaurum referri possit, margini appositi sunt numeri, quibus huius editionis cum vetere Aldina consensus hac in parte reperiatur.** *(Genevae:)* **In officina Sanctandreana** *s. a. In fine vero Tomi secundi et in Indice Tomi tertii:*

Excudebat Ieremias des Planches 1584. 4 Tomi, 2 Vol. Fol.

Editio notabilis maxime et propter numeros Aldinae Editionis appositos, quorum ope facilius uti licet Nizolio, qualis sine §§. numeris ante Alexandrum Scotum edebatur, et propter Fulvii Ursini curam,

quae repetita est ex hac Editione: † Fulvii Ursini in omnia opera Ciceronis Notae. Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, architypographi Regii 1581. 8. pag. 293.

— — Lugduni: 1585. 4 Vol. Fol.

Sic Schweigerus. Estne eadem cum praecedente?

— opera omnia quae exstant a Dionys. Lambino ex codd. Mss. emendata et aucta. Eiusdem Lambini annotatt. s. emendationum rationes singulis tomis distinctae. Fragmenta omnia quae extant. Londini, per Ioh. J. et Edm. C. *(Ioh. Jackson et Edm. Carpenter)* 1585. 9 Vol. 8. R.

ϵ — opera omnia. Praeter hactenus vulgatam Dion. Lambini editionem, accesserunt D. Gothofredi I. C. Notae: in queis Variae lectiones prope infinitae: Synopses generales et speciales singulis vel libris vel paginis adiectae; Ciceronis loca praecipua et difficiliora, inter se primo, aliis deinde authoribus, Grammaticis, Rhetoribus, Poetis, Historicis, Iurisconsultis maxime collata: ut et Formulae, quae ad ius, leges, senatus consulta et actiones pertinent, explicatae. Lugduni, sumptibus Sibyllae a Porta 1588. 4 Tomi *(plerumque in unum volumen compacti.)* 4.

Editio Gothofrediana prima, eademque sola, quae a VV. DD. quaeratur, satis nitida et correcta. (Memorant Bipontini Ed. Genevae, ex rec. Lambini 1594. 8. cura Gothofredi.)

— — variis Dion. Lambini et aliorum doctissimorum quorumque virorum Lectionibus opera Alex. Scot, Scoti, ad marginem illustrata et in sectiones Apparatui Latinae locutionis respondentia. Acc. D. Lambini et F. Ursini emendationum rationes singulis tomis distinctae. Lugduni, sumptibus Io. Pillehotte 1588. 9 Vol. 12. *(Basileae.)*

Apparatus ille Latinae locutionis est Nizolii Thesaurus ab eodem Scoto emendatus. „Textum C. Stephani maxime secutus lectiones Lambini, Manutii, Mureti, Victorii, Ursini cet. cum suis notis in marginem reposuit, Lambini annotatt. ad cuiusque voluminis finem adiecit." Bipontini.

ϵ * — opera omnia, quae exstant. Editio ad Manutianam et Brutinam conformata. Cum Annotationibus et castigationibus, quae ex variis doctorum virorum scriptis selectae, suis quaeque Tomis adiectae sunt. Francofurti, apud heredes Wechel 1590. 10 Vol. 8.

Editor fuit Fridericus Sylburgius, qui laudabili cum diligentia priorum Criticorum, Victorii, Manutii, Ursini, Bruti ac praesertim Lambini adnotationes excerpsit, raro iudicium suum interponens et paucissima dumtaxat de suo addens. Insunt tamen nonnulla, quae alibi frustra quaeras.

* — — *(Index, ut in Ed. Gothofrediana* 1588.) *(Genevae)*, Apud haeredes Eustath. Vignon 1596. 4 partes in uno Vol. 4.

Sic meum exemplar; Schweigerus: Apud Gu. Laemarium 1596. 4. Editio sordida.

— — *(Gothofrediana:)* Apud haeredes Eustath. Vignon 1606. 4. (Schweigerus.)

— — *(Gothofrediana:)* Genevae apud Petrum de la Rouvière 1606. 4 Tomi, 2 Vol. Fol. (Bipontini.)

— — (*Index, ut in Sylburgiana* **1590.**) **Hanoviae, Wechel 1606. 10 Vol. 8.**

Repetitio Sylburgianae, ut sequens:

— — **Ibid.? 1609. 10 Vol. 8.**

Vidi exemplar, quod habebat: „Francofurti, apud Claudium Marnium et heredes Ioannis Aubrii."

— — **cum notis D. Lambini et D. Gothofredi. Coloniae Allobrogum 1616. 4 Tomi, 2 Vol. Fol.**

Memorant hanc Ed. a Schweigero praetermissam Bipontini, eamque possidet Baiterus meus. Iuvat hic apponere ceteras Gothofredianas, quarum Bipontini et Schweigerus mentionem fecerunt: 1) Coloniae Allobrogum 1617. 4 Partes 4. (Schweig.) 2) Ibid. 1626. 4. 3) Ibid. 1632. (1633. Bip.) 4. 4) Genevae 1646. 4. (Bip.) 5) Ibid. 1659. 4. (Schweig.) Praeterea Lambinianam (Repetitt.) „cum sectionibus Scoti textum sine notis exprimens a) Genevae 1608. (Bip.) b) Lugduni 1616. (Bip.) c) 1624. (Bip. et Schweig.) d) Ibid., apud Henr. Fetherson 1626. binis semper Vol. 8. Eiusdem denique generis, quod nunc omni pretio caret, est Editio a Bipontinis memorata, a Schweigero praetermissa: Augustae Munatianae *(id est, Basileae)* 1620. 9 Vol. 12.

ϵ * — **opera omnia quae exstant. Ex sola fere Codd. Mss. fide emendata studio atque industria Iani Gulielmii (*sic*) et Iani Gruteri. Additis notis et Indd. accuratiss. confectis. Hamburgi, ex bibliopolio Frobeniano 1618. 4 Tom. (*in uno Vol.*) Fol. max.** *Additur:* **Penu Tullianum decem caellis (*sic*) sive indicibus expromens: quidquid uspiam divitiarum in operibus M. Tullii Ciceronis a Iano Guilielmo (*sic*) et Iano Grutero emendatis continetur: collectore Georgio Ludovico Frobenio C. H. Hamburgi, ex bibliopolio Frobeniano 1619. Fol. *pagg.* 365.**

Maximum Gruteri, viri iudicio prorsus destituti et in Lambinum, quem singulis paginis stulte insectatur, iniquissimi, meritum hoc fuit, quod varias lectiones e Codd. Germaniae, Galliae, Belgii collectas a Gulielmio, adolescente, cuius sollertia et sagacitas merito praedicatur, eiusdemque coniecturas nobis servavit insuperque excussit Codd. Palatinos. Ceterum, cum fundamenti loco habuerit vel Repetitionem aliquam Lambinianam vel Gothofredianam, permulti errores in eius recensione remanserunt, saepe usque ad nos propagati. Quod ad ipsam editionem Hamburgensem satis maculosam pertinet, usui utique commodior est repetitio Gronoviana, sed ex illa corrigi possunt aliquot errores, qui in variis lectionibus in hanc irrepserunt, adeo ut non omni iam pretio destituta sit.

— **opera cum optimis exemplaribus accurate collata. Lugduni Batavorum, ex officina Elzeviriana 1642. 10 Vol. 12. R.**

Editio nitida et, ubi bene conservata est, a βιβλιοφίλοις cupide quaesita Gruteri recensionem sequitur, capitibus, (in quae Gruterus primus divisit Ciceronis scripta, ut Scotus in §§.) non notatis. Distinguendum est duplex genus exemplorum voluminis IX. Scilicet usque ad pag. 228. omnino sunt paria; deinceps alterum genus a pag. 229. usque ad pag. 237. exhibet Somnium Scipionis; alterum genus inde a

pag. 229. procedit usque ad pag. 301., quibus, omisso Somnio Scipionis, quod exstat inter Fragmenta in omnibus voluminis X. exemplaribus, continetur Consolatio Sigoniana. Cfr. Renouard Catal. T. 2. p. 72.

— — — Amstelaedami, Blaeu **1659. 10 Vol. 12.**

Repetitio praecedentis minus elegans nec a *βιβλιοφίλοις* magno opere quaesita.

— opera omnia cum Gruteri et selectis variorum notis et indicibus locupletissimis accurante Cornelio Schrevelio. Amstelodami, apud L. et D. Elzevirios et Lugduni Batavorum apud Hackium 1661. 2 Vol. 4.

Editio nitida, sed nullius iam pretii critici.

— opera omnia quae exstant ex sola fere Codd. Mss. fide studio atque industria Iani Gulielmii et Iani Gruteri. Additis notis et indd. accurate confectis. Adiungitur item Frobenii penu Tullianum. Iuxta exemplar Hamburgense. Londini, Dunmore 1681. 4 Vol. Fol.

Repetitio Editionis Gruterianae elegans, sed parum emendata. Annotationes, quae in Hamburgensi in singularum partium fine exhibentur, in hac contextui subiectae sunt.

— — (*Index, ut in Ed. Schreveliana* **1661:) Basileae, 1687. 4.**

Sordida repetitio Schrevelianae. Addunt Bipontini: „sumptibus Leon. Chouet et Io. Ant. Crameri, typis I. R. Genathii 1687. et Venetiis 1687. 4 Tom. 4. mai."

€ * **— opera omnia cum notis variorum cura I. G. Graevii. Amstelaedami, Elzevir. et Blaeu 1684—99. 11 Vol. 8.**

Graevius cum Ciceronis opera omnia cum notis variorum edendi consilium cepisset, morte, quo minus hoc inceptum exsequeretur, prohibitus est. Gruteri recensionem e Codd. et coniecturis VV. DD. plerumque in melius mutavit, non tamen ita, ut satis accurate uteretur etiam iis copiis, quae ipsi praesto erant. Iam *βιβλιόφιλοι*, qui colligere solent Editiones, quas dicunt cum notis variorum, sic fere solent componere sibi Ciceronis huiusce generis Editionem: 1) Orationes, ed. Graevii. Amst., Blaeu 1699. 6 Vol. 8. 2) Epp. ad famil., ed. Graevii. Ib. Elzevir. 1677. vel etiam 1693. 2 Vol. 8. 3) Epp. ad Atticum, ed. Graevii. Ibid. Blaeu 1684. 2 Vol. 8. 4) de Officiis cet., ed. Graevii. Ibid., id. 1688. (vel 1691. et 1710.) 8. 5) Rhetorica cet., ed. P. Burmanno. Lugd., Bat. 1761. 8. 6) De Oratore, ed. Pearce. Ed. IV. Lond. 1771. 8. 7) De clar. Orator., ed. Proust. Oxon. 1716. 8. 8) Sex oratt. partes, ed. Aug. Maii altera. Mediol. 1817. 8. 9) Oratt. pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragm. ed. Niebuhrii. Romae 1820. 8. 10) Epp. ad Q. fratrem et Brutum. Hagae Comitum 1725. 8. 11) Academica, ed. Davisii. Cantabr. 1736. 8. 12) De Finn., ed. Davisii. Ibid. 1741. 8. 13) Tuscul., ed. Davisii. Ibid. 1738. 8. 14) De Divinat. et de Fato, ed. Davisii. Ibid. 1730. 8. 15) De nat. D., ed. Davisii. Ibid. 1744. 8. 16) De nat. D. liber IV., ed. Seraphino. Oxon. 1813. 8. 17) De Legibus, ed. Davisii. Cantabr. 1745. 8. 18) De Rep., ed. A. Maii. Romae 1822. 8. 19) Tunstalli Epistola. Cantabr. 1741. 8. 20) Wopkens lectt. Tullianae. Amst. 1730. 8. 21) (H. Stephani) Lexicon Ciceronianum. Aug.

Taur. 1743. 8. 22) Ernestii Clavis Cic. Halae 1777. 8. 23) Ernestii Praef. et notae. Halae 1806. 2 Vol. 8. 24) Nizolius cura Facciolati. Lond. 1820. 3 Vol. 8. Vel sic tamen absunt Fragmenta.

є † — opera quae exstant omnia ex Mss. Codd. emendata studio atque industria Iani Gulielmii et Iani Gruteri, additis eorum notis integris nunc denuo recognita ab Iacobo Gronovio. Cuius ubique adiectae sunt emendationes, petitae partim ex libris Mss., partim ex animadversionibus virorum doctorum; etiam orationibus illustratis accessione Asconii Pediani et veteris Scholiastae nunquam antea editi. Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa **1692.** 4 Vol. 4.

Paucissimis locis exceptis sequitur Gruterum; Gronovii ipsius coniecturae sunt infelicissimae. Editio nitida et commodior Hamburgensi.

є * — opera omnia. Cum integris notis Iani Gruteri, ex recensione Iacobi Gronovii, adiectis eiusdem notis. Lugd. Batav., apud Petrum van der Aa **1692.** 11 Vol. 12.

Prorsus eadem est editio cum praecedente mutata tantum forma.

† — — opera quae supersunt omnia cum Asconio et Scholiaste veteri ac notis integris P. Victorii, Io. Camerarii, F. Ursini et selectis P. Manutii, D. Lambini, Iani Gulielmii, Iani Gruteri, I. F. et Iac. Gronoviorum, I. G. Graevii et aliorum quam plurimorum, qui aliquam Ciceronis operum partem animadversionibus illustraverunt. Isaacus Verburgius collegit, disposuit, recensuit, varr. lectt. ubique apposuit. Paginas Aldinae Editionis quas Nizolius et alii sunt secuti, una cum Alexandri Scot sectionibus Apparatui Latinae locutionis respondentibus ad utentis commodum ubique diligenter notavit. Cum Indicibus accuratissimis insigniter auctis. Amstelodami, apud Wetstenios **1724.** 2 Vol. Fol. vel 4 Vol. 4. vel 12 Vol. 8.

Paucissimis exceptis in contextu sequitur Iac. Gronovium; delectum autem et varr. lectt. et annotationum nullo cum iudicio instituit. Exemplaria formae 4 et 8 praeferri solent iis, quae sunt forma maxima.

* — — (*Verburgiana repetita:*) Venetiis, apud Franciscum Pitteri **1731.** 12 Vol. 8.

— opera omnia ex rec. Iac. Gronovii. Accedit varietas lectionis Pearcianae, Graevianae, Davisianae cum singulorum librorum argumentis et indice rerum historico verborumque philologico-critico. Curavit Io. Augustus Ernesti. Lipsiae **1737—1739.** 6 Vol. 8.

„Ipsa quidem textus Grutero-Gronoviani editio mendis referta est. Una igitur huius Editionis laus est a clave Ciceroniana, quae etiam separatim divendita plurimum adiuvit studium Latinitatis, maxime Tullianae." Bipontini.

Berolinensis repetitio Ed. Londinensis 1681. curata apud Haudium ab I. P. Millero 1747. seqq. communem indicem non habet.

є — — opera cum delectu commentariorum. Parisiis, Io. Bapt. Coignard, Guérin, Desaint et Guérin **1740—1742.** 9 Vol. 4.

Editio pulchra et correcta, in Gallia studiose quaesita. „Contextus nulli certo exemplo adstrictus, sed ex quattuor exemplis, Victorii, Manutii, Lambini, Gruteri ita mixtus, ut in quibus omnes consentirent, nunquam discederet; in quibus autem discrepant, suum iudicium secutus

est, sed tamen ceterorum lectt. (negligenter tamen) annotavit, praeterquam in Epp., quod casu perissent. Dedit vero separatim varias lectiones e Graevianis decerptas. In singulorum voluminum fine annotationes compilavit ex priorum interpretum curis selectas, suas perpaucas." BIPONTINI. Tota Oliveti recensio est arbitraria, negligens, omnis generis erroribus referta nec multo cum iudicio suscepta. Unicus usus criticus, quem praebet, in eo constat, quod habet nonnullas coniecturas Mureti, interdum etiam aliorum, veluti Odini, antea non editas.

— — opera omnia in XI. tomos distributa. Patavii, typis Seminarii, apud Io. Manfrè 1742. 11 Vol. 8.

Cum argumentis et selecta varietate lectionis, cura Iacobi Facciolati. Repetitio Olivetinae, omissis tamen commentariis.

— opera omnia cum delectu commentariorum in usum Delphini, studio Ios. Oliveti. Editio altera. Genevae, Cramer et Philibert 1743—1746. 9 Vol. 4.

Additamenta nonnulla ipsius Oliveti exhibere fertur. Annotationes hic scriptis ipsis subiectae sunt.

є — — quae supersunt omnia. Ad fidem optimarum Editionum diligenter expressa. Glasguae, in aedibus Academicis exc. Robertus et Andreas Foulis 1749. 20 Vol. 16.

Editio ad Olivetinam exacta, nitida et correcta. Libros de Oratore Georgius Rosse, professor Glasguensis, e Codice et e coniectura emendavit; qua cura nemo adhuc recentiorum uti potuit.

* — opera cum delectu commentariorum in usum Delphini. Adiectis ad Oratorias Partitiones nunc primum Adnotationibus. Patavii, typis Seminarii apud Io. Manfrè 1753. 9 Vol. 4.

„Typographus lectori: — — Quia in celebri hac collectione Oratoriae Partitiones ornatu omni atque adiumento carent, novas Iacobi Facciolati Annotationes adieci: per occasionem autem ad ipsa quoque Philosophica illustranda nonnullas eius lucubrationes Olivetanis commiscui."

— — *(Index, ut in Ed. 1737.)* cur. Io. Aug. Ernesti. Editio II. emendata. Halae 1757. 4 Vol. in 6 Part. 8.

„Parum differt a prima nisi quod a parte vitiorum repurgata est." BIPONTINI. Charta pessima est.

— — *(Repetitio Olivetinae:)* Ed. III. Genevae, Cramer 1758. 9 Vol. 4.

є * — opera. Recensuit I. N. Lallemand. Parisiis, apud Saillant, Desaint, Barbou 1768. 14 Vol. 12.

Editio nitida et emendata. Voluminum priorum exemplaria nonnulla annum 1766. prae se ferunt. In contextu sequitur Olivetum. Recte de Lallemando iudicavit Zumptius in Praefat. Verr. p. XXIII. „Codices Parisinos specie tenus adhibuit, quorum nomine et numero, nullo facto discrimine, subinde eam sententiam, quam ipse probasset, confirmaret. — — Quid vero quod Lallemandus in eiusmodi epiphonematis *(sic quattuor e nostris cet.)* ne fidem quidem videtur servasse, sed ostentationis causa libris suis iniunxit, quod in illis non fuerit?"

— — *(Repetitio Oliveto-Facciolatinae:)* Venetiis 1772. 9 Vol. 4.

— — *(Item:)* Patavii, typis Seminarii, apud Io. Manfrè 1773. 16 Vol. 8.

€ * — opera omnia ex recensione Io. Augusti Ernesti cum eiusdem notis et Clave Ciceroniana. Halis Saxonum, in Orphanotropheo 1774—77. 5 Vol. in 7 Part. 8. *Octavo volumine Clavis continetur. Primum volumen post dedicationem alterum habet indicem annum 1772. prae se ferentem.*

Cfr. Wyttenbachii censuram in Bibliotheca critica. Vol. I. P. 1—3. De Ernestio quoque, „homine et ingeniosissimo et eruditissimo, litterarum antiquarum post Gesnerum in Germania statore," Zumptii verba mea facio. Praefat. ad Verr. p. XXIII. seqq. „Non vereor, ne quis existimet me Ernestii meritis quidquam detrahere velle; maiora enim sunt, quam quae in dubitationem vocari aut possint aut debeant: sed talis fuit in recensendo Cicerone, partim nimium suus, ubi suspicionibus subito inter legendum obortis indulgebat, partim litterae, non scriptae, sed typis vetustis impressae adeo deditus, ut pleraque recentiorum inventa, Lambini, Graevii, Bentleii, Davisii, fastidiret ac negligeret. Itaque verius eum recognovisse textum Gruterianam quam discrimine verborum nuper admodum invento, sed utili, recensuisse Ciceronem dicemus et gratiam habebimus, quae bene fecit, veniam dabimus quae reliquit." Parum versatus erat in omni arte diplomatica, quippe qui pessimum suum Codicem Sec. XV. Epistolarum ad Familiares, decimi seculi aestimarit. Quod autem Brunetus et Schweigerus emendatissimam vocant, addubitare liceat ei, qui experientia didicit, quot et quanti operarum errores in ea deprehendantur: veluti in una Praefat. pag. XXVIII. *boca* pro *baca*, *flamma* pro *flama* (specimen scilicet hoc est insolentioris scripturae Victorianae.) *quamquam* pro *quamque*.

— — ex recensione Io. Aug. Ernestii cum var. lect. Gruteriana et clave Ciceroniana. Halae, Orphanotr. 1776—77. 5 Vol. 8.

Editio minor, sine annotationibus.

— — opera, ad Edd. Paris. et Patavinam. Wirceburgi, apud Stahel 1776. 8 Vol. 8.

Editio mendosissima.

€ * — opera ex rec. I. G. Graevii cum notis variorum. Editio novissima post Graevianam locupletior. Neapoli, typis et sumptibus Ios. Mariae Porcelli 1777—1788. 17 Vol. 8.

Repetitio auctior Graevianae, cuius curam inde a tertio Volumine suscepit Gasp. Garatonius, bonus et interpres et criticus, nisi quod subinde nimis modestus et „sui obtrectator" fuit (ut vere Madvigius) nec quidquam praeter manifestos errores typographicos in contextu correctum voluit, neque tamen cavere potuit, ne nova eaque saepe foeda menda in Neapolitanam editionem irreperent, ipse cum modo Romae, modo Bononiae degeret. Id quoque offecit eius incepto, quod praeterquam in Planciana et Miloniana destitutus erat bonorum codicum auxilio adeoque iustam κρίσιν exercere vix poterat. Debebant esse volumina 36, quorum 33 continerent Ciceronis opera, 3 cum clavem

Ernestianam, tum alia scripta Ciceronem illustrantia. Sed varias calamitates perpessa est tota haec cura, primum cum deperderentur Garatonii annotationes ad nonum Orationum volumen, deinde cum decoxisset redemptor adeoque ab incepto desistere coactus esset. Prodierunt Vol. 1 et 2. Officia, Cato, Laelius et Paradoxa. T. 3—11. Orationes usque ad Pisonianam; itaque, cum postea separatim editae essent Miloniana et Philippicae, latent adhuc Bononiae, quae conscripsit in Ligarianam et Deiotarianam. T. 14—17. Epp. ad Famil.; in quibus ut in Officiis et in Rhetoricis nullae sunt Garatonii partes. T. 23. Rhetorica ad Herenninm. T. 24. De inventione et de opt. gen. oratorum.

* — opera ad optimas editiones collata. Praemittitur vita ex Plutarchi Graeco Latine reddita cum notitia litteraria. Accedunt Indices. Studiis societatis Bipontinae. Editio accurata. Biponti, ex typographia societatis 1780—87. 13 Vol. 8.

Haec Editores: „Ut textum, quantum fieri potest, emendate redderemus, ex sociis illum Exterus noster denuo contulit cum nitidiore illa Alemanni, Aldinis, praesertim 1569, Gryphiana 1560, Lambiniana 1577, Gruterianis aliisque. Ita quam plurima vitia operarum emendata, rectior eaque constans scribendi ratio inducta, interpunctio in melius directa, multi loci ex melioribus Edd., in quibus saepe inveniuntur, quae se Ernestius suspicari ait, sanati. Nihil coniecturae, quam dicunt, novae datum est; sed textus, qualem damus, optimorum librorum bona coniuncta habet." — Nec tamen ulla gaudet auctoritate, quam ex parte saltem obtinuisset, si Editoribus varietatem Ernestianam subiicere placuisset. Clavis paullo auctior est Ernestiana.

— opera secundum optimas novissimasque editiones. Mannhemii sumptibus Societatis (Löffler) 1783—87. 20 Vol. 8.

Editio prorsus contemnenda et nullius usus.

ϵ † — Opera. Cum indicibus et variis lectionibus. Oxonii, e typogr. Clarendoniano 1783. 10 Vol. 4.

Habet varias lectt. ex 29 Codd. ab Hearnio olim collatis, 24 Codd. variarum bibliothecarum Oxoniensium et duobus Eboracensibus a nescio quo collectas. Codices ipsi plerumque Italici, recentiores, exigui pretii, collationes haud nimis accuratae sunt. In contextu sequitur Olivetum omissis eius Commentariis, qui postea sic additi sunt: Ios. Oliveti delectus commentariorum in M. Tullii Ciceronis opera omnia. Oxonii, Talboys 1824. 4. Varietas Codd. Oxonn. admodum negligenter repetita est: Variae lectiones ex M. Tullii Ciceronis editionibus Oxoniensi et Neapolitana descriptae. Editionis Ernestianae minoris supplementum. Halae, in libr. Orphanotr. 1825—1830. 3 Vol. 8. Curavit Regis.

ϵ * — opera. Ad optimos libros recensuit, animadversionibus instruxit, indices et lexicon Ciceronianum addidit Christianus Daniel Beckius. Lipsiae, sumptu E. B. Schwickerti 1795—1807. 4 Vol. 8.

Non continet nisi Orationes usque ad orat. de haruspicum responsis: ad quam cum pervenisset, ut solebat Beckius, totam curam seposuit. Est utile compendium omnium prope earum, quae tunc exstabant curarum criticarum non sine proprio iudicio compilatum.

— opera omnia. Matriti ex regia typogr., operas dirigente P. I. Pereyra. **1797. 14** Vol. 4. min. *cum 24 imaginibus.*

Splendida haec Editio sequitur Olivetinam habetque Ernestii clavem. Quod factum oportuit, scilicet ut conferrentur Codices Hispanienses, id vero neglectum est.

— opera. Mit deutscher Übersetzung. Viennae, ... **1802. 16** Vol. 8.

— opera omnia e rec. Io. Aug. Ernesti cum eiusdem notis et clave Ciceroniana. Oxonii, Collingwood **1810. 8** Vol. 8.

Elegans, sed parum emendata repetitio Ernestianae. Splendidior etiam, sed aeque vitiosa est altera repetitio Anglicana: Londini, typis excudebat Dove, apud R. Priestley 1819. 8. Vol. 8. Addenda sunt: Delectus commentariorum in M. Tullii Ciceronis opera omnia ad editionem Ernesti accommodatus: ex Edit. Ios. Oliveti. Ibid., id. 1819. 3 Vol. 8. et Lexicon Ciceronianum Marii Nizolii, iuxta Edit. Iac. Facciolati. Ibid., id. 1819. 3 Vol. 8. Cfr. Brunet *nouvelles recherches* T. 1. p. 325.

є * — opera omnia deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diversitatem adnotavit, indices rerum et verborum copiosissimos adiecit Christ. Godofredus Schütz. Lipsiae, G. Fleischer **1814—23. 20** Vol. (28 Part.) 8.

„Schützio accidit aliquoties, ut ad difficultatem recto quodam sensu offenderet, in reliquis rebus temerarius et infelix criticus." Madvigius. Accedunt innumerabiles errores, in quos propter meram secordiam incidit. Vel sic tamen qui *κρίσιν* Tullianam exercent, eius Editione carere nequeunt, donec annotationes omnes in Apparatum aliquem criticum recipiantur. Lexicon Ciceronianum multis partibus augendum erit; nam, ut nunc est, fere tutius Nizoliano quam hoc utimur; certe utrumque simul semper consulendum est.

— opera ad optt. librorum fidem accurate edita. Editio stereotypa. Lipsiae, Tauchnitz **1815.** seqq. **12** Vol. 12.

— oeuvres complètes traduites en français avec des notes critiques et littéraires et la clavis Ciceroniana d'Ernesti. Paris, Fournier **1816—18. 29** Tom. 8.

Curavit Fournier, bibliopola.

— opera omnia ex rec. I. A. Ernesti cum eiusdem notis et clave. Boston, (**1818?**) **28** Vol. 12.

Elegans et correcta repetitio Ernestianae, primaque, quae in America prodierit.

— opera ex Editt. Oliveti et Ernesti sedula recensione accurata ab Io. Carey (Regents Edition.) Londini, Baldwin **1820. 12** Vol. 18.

— opera omnia ex rec. I. A. Ernesti cum varietate lectionis Gruterianae et clave Ciceroniana. Accedit praeter fragmenta nuper in Italia reperta Editionum Oxoniensis et Neapolitanae codicumque ad has collatorum lectionis diversitas. Editio nova. Halae, Orphanotr. **1820—1830. 9** Vol. 8.

Editio mendosa et sordida.

— oeuvres complètes traduites en français, avec le texte en re-

gard. Edition publiée par Ios. Victor Le Clerc. Paris, Lefèvre 1821—25. 30 Vol. 8.

Cfr. Brunet *nouvelles recherches* T. 1. p. 326.

— les mêmes, en latin et en français publiées par Ios. Vict. Le Clerc: seconde édition. Paris, Lequien (imprim. de Crapelet) 1823—27. 36 Vol. 18.

— opera ex recensione Ios. Vict. Leclerc, edidit I. — A. Amar. Parisiis, Lefèvre 1823—1825. 18 Vol. 32.

Editio nitida.

— opera ex rec. C. G. Schützii additis commentariis. Augustae Taurinorum, typis Pomba 1823. seqq. (usque ad a. 1828. prodierant Vol. 11.) 8.

Pulchra editio curata a Bouchcrone, professore Taurinensi.

Editio nostra.

є * — opera quae supersunt omnia apparatu, indicibus, varietate lectionis, notis tabulisque aeneis illustrata cur. Franc. Bentivoglio. Mediolani, Bettoni 1826. 8 mai.

Debebant esse Editionis Latinae dumtaxat volumina 20, Ed. Latino-Italicae vol. 40; sed editor doctissimus et qui non sine fructu consuluit Codices Ambrosianos, adhuc substitit intra Epistolas (Vol. 9.) Ed. Latino-Italicae.

є * — opera uno volumine comprehensa. Ex rec. Io. Aug. Ernesti studiose recognita edidit Carolus Frid. Aug. Nobbe. Lipsiae, Tauchnitz 1828. 4.

Editio nitida et commoda. Recensionem Ernestianam passim mutavit ex Schütziana et singulis singulorum scriptorum Editionibus recentioribus. Praesertim locis a Cicerone e poëtis desumptis constituendis operam dedit. Cfr. Beieri censuram in Diario scholastico 1828. P. II. N. 18—20.

— *Eadem Editio digesta in 10 Vol. s. 33 Partes:* Ibid. id. 1828. 16.

† — opera omnia. Parisiis, Lemaire 1827—32. 19 Vol. 8.

Divisa est haec Editio nitida et correcta, interdum etiam Germanorum interpretum et criticorum annotationes exhibens, sed ad χρῖσιν nihil fere novi afferens, in partes quinque: Pars prima sive opera rhetorica et oratoria, textum collatis optimis editionibus recensuit, varietate lectionum et notis Ernestii Schützii que fere integris, aliorum selectis exornavit et suas addidit I. W. Rinn. 2 Vol. — Pars secunda sive orationes omnes ad optimos codices et editionem I. V. Leclerc recensitae: 6 Vol. — Pars tertia sive opera philosophica cum selectis veterum ac recentiorum notis, curante et emendante M. N. Bouillet. 6 Vol. — Pars quarta sive epistolarum omnium libri ad optimos codices et editionem I. V. Leclerc recensiti, cum selectis veterum ac recentiorum notis curante et emendante N. E. Lemaire. 3 Vol. — Pars quinta: Fragmenta 1831. 1 Vol. Indices 1832. 1 Vol.

— opera ex editione Ernesti cum notis et interpretatione in usum Delphini. Londini, Valpy 1830. 12 Partes in Vol. 17. 8.

— opera omnia ad optt. Edd. collata notisque brevibus illustrata. Bruxellis **1829. 12.**

Quot volumina adhuc prodierint, ignoro.

— oeuvres complètes, en latin et en français, traduction nouvelle par MM. Andrieux, Champollion-Figeac, de Guerle, Delcasso, de Golbéry, du Rozoir, Ajasson de Grandsagne, Guéroult, Liez, Matter, Panckouke, Péricaud, Pierrot, Rabanis, Stievenart. Paris, Panckouke **1830** seqq. 8.

Debebant esse minimum 32 volumina: mense Maio 1833. prodierant 22 Vol.

— opera, quae supersunt, omnia ac deperditorum fragmenta. Ex recensione Io. Casp. Orellii. Hilpertohusae et Novi Yorici, sumptibus et typis instituti bibliographici **1831.** Fol.

Prodiit adhuc primus duntaxat fasciculus, opera rhetorica continens. *Non ragioniam di lor, ma guarda e passa!*

RHETORICA.

є *Ciceronis rhetorica s.* de oratore cum commentario Omniboni Leoniceni. De perfecto oratore. Topica. Partitiones oratoriae. De claris oratoribus. De petitione consulatus. De optimo genere oratorum. Aeschinis et Demosthenis orationes contrariae per Leonardum Aretinum in Lat. conversae. — Venetiis per Barthol. Alexandrinum et Andr. Asulanum **1485.** 3 nonas Mart. Fol. *f.* ***211.*** R. (*Basileae.*)

— Venetiis, Thomas de Blauis **1488. 16** Mai. Fol.

— Venetiis, Anton. de Strata **1495. 15.** Iul. Fol. *f.* ***186. Post Demosthenis orationem haec leguntur :*** « Universi operis finis. Anno ab incarnatione domini **1495** die **15.** Iul."; *quibus verbis inducti nonnulli memorant editionem s. l.* ***1495.*** (Cfr. Franc. de Licteriis bibl. Neapol. T. **1.** p. **186.**)

† — de oratore cum commento et alia opera. (*Norimbergae,*) Anth. Koberger **1497. 26** Marcii. Fol. *f.* ***185.*** *num.*

Eadem scripta continet.

— Venetiis, Alb. Vercellensis **1501.** Fol. *f.* ***181.***

є Rhetoricorum ad C. Herennium libri IIII. Ciceronis de inuentione lib. II. Eiusdem de Oratore ad Quintum fratrem lib. III. Eiusdem de claris oratoribus qui dicitur Brutus: lib. I. Eiusd. orator ad Brutum lib. I. Eiusd. Topica ad Trebatium lib. I. Eiusd. oratoriae partitiones lib. I. Eiusd. de optimo genere oratorum praefatio quaedam. Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri m. Martio **1514.** 4. *f.* ***6.*** *non num. f.* ***245.*** *num. f.* ***2.*** *errorum. f.* ***1.*** *cum ancora.* R.

Editio ex parte curata ab Andrea Naugerio cum praefatione Aldi avi.

— Florentiae, Phil. Iunta **1514.** m. Octobr. 8. R.

Repetitio praecedentis curata a Luca Robia.

* — (*Index ut a.* ***1514.****, sed additur:*) Index rerum notabilium, quae toto opere continentur, per ordinem alphabeti. Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri **1521.** m. Octobr. 4. *f.* ***16.*** *non num. f.* ***245.*** *num. f.* ***1.*** *cum ancora.* R.

Repetitio Editionis 1514.

— Florentiae, ex off. Phil. Iuntae. *(In fine:)* per heredes Phil. Iuntae **1526.** m. Aug. **8.** *f. 8. non num. f. 248. num.*

Repetitio prioris Iuntinae.


* — Epp. ad diversos. Recensuit, vita Ciceronis praemissa, praefatione singulis libris praeposita, argumentis, tabula Epp. chronologica et indd. historicis in usum schol. illustravit Io. Christianus Frid. Wetzel. Lignitii, Siegert 1794. 8.

Res historicas in singulorum librorum argumentis haud inscite tractavit.

— — Epistolae ad diversos et ad Brutum. Nach der Zeitfolge geordnet und mit Einleitungen und Anmerk. zum Schulgebrauch erläutert von Aug. Christian Borheck. Lemgo, Meyer 1794 — 96. 2 Theile. 8.

є * M. T. Ciceronis et clarorum virorum Epistolae decem et sex libris comprehensae. Adhibita multorum locorum correctione scriptorum pariter atque editorum librorum praesidio castigatius edidit Io. Aloysius Martyni-Laguna. Volumen I. P. 1. et 2. Lipsiae, G. I. Goeschen 1804. 4. et 8.

Editio haec interrupta incendio, quod Martyni-Lagunae bibliothecam absumpsit, continet Lib. I. — VI. dumtaxat. „Animadversionum et emendationum" excusae sunt quinque tantum plagulae servatae in Bibl. Univers. Lips. et repetitae in Iahnii Annal. Suppl. Vol. II. Fasc. 2. p. 249—267. et Fasc. 3. p. 365—382. ad Lib. I. Epp. 1—8. pag. 20. Ed. in 8. Meum de tota hac cura iudicium videsis in Hist. crit. Epp. Cic. p. 24.

— Epistolae ad familiares quae supersunt omnes secundum optimas novissimasque editiones. Manhemii, Loeffler 1811. 2 Vol. 8.

— — ex rec. I. A. Ernesti. In usum schol. Ed. nova. Halae, Orphanotr. 1814. 8.

— Epp. ad diversos ex Edit. I. A. Ernesti. Londini, Priestley 1820. 8.

— Epp. ad familiares ex rec. I. A. Ernesti. In usum schol. Ed. nova. Halae, Orphanotr. 1826. 8.

EPISTOLAE AD ATTICUM, AD M. BRUTUM, AD QUINTUM FRATREM.

Hoc in volumine haec continentur. Epiſtola ad Auguſtinum Mapheum per Bartholomeum ſalicetū Bononienſem et Ludovicū Regiū Cornelienſem. M. T. C. epistola℞ ad brutū liber unus. M. T. C. epiſtola℞ ad Q. C. fratrem libri tres. M. T. C. ad Octaviū epiſtola. M. T. C. epiſtola℞ ad T. Pō. Atticum libri XVI. T. P. Attici vita per Cornelium nepotem. Pomponii laeti epigramma ad Auguſtinum Maffeum per Ludovicum regium Cornelienſem. *s. l. et a.* Fol. *Charact. Rom. Verss. 45. Sign.* a — x. *Sine num. fol. et custod. In pag. adversa fol. 1. Index. In pag. aversa Ep. Salicetl. Fol. 2. incipiunt Epp. ad Brutum. Insunt Graeca.*

Cfr. Fossi T. I. p. 522. Haec Editio sequitur modo Romanam 1470., modo Iensonianam. Vide, ne clandestina sit repetitio Romanae a. 1490.

є M. Tul. Ciceronis ad M. Brutum et ceteros (*Q. fratrem, Octa-*

vium et Atticum) epiftole. Romae, Conr. Suueynheym et Arn. Pannartz 1470. Fol. *f. 198. (et f. 1. album) verss. 38. Pag. adversa fol. 1. alba; in aversa* Epiftola Io. Andreae episcopi Aleriensis ad Paulum II. Pont. Max., *cuius primus hic est versus:* (*k*)Arthaginenfef ad Romanof legati aliquãdo pater beatiffime. *Fol. 2 a. incipit textus:* M. Tul. Ciceronis ad M. Brutum et ceterof epiftole. ‖ M. Tul. Cicero. M. Bruto Sal. pl. dicit. *In fine:* Impreffũ Rome opuf In domo Petri et Frãcifci de Maxĩf. iuxta campũ flore. p̄fidentibuf Magiftrif Cõrado Suueynheym et Arnoldo Pannartz. Anno dominici natalis .M.CCCC.LXX. S. d. n. dñi Pauli II. Veneti Pont. Max. anno VI. Vrbe et ecclefia florente. RRR. *cum exempla dumtaxat 275. excusa sint. Insunt Graeca. (Gottingae et Basileae.)*

є — Epistolae ad Atticum, Brutum et Quintum fratrem. Venetiis, Nicolaus Ienson 1470. Fol. *f. 181. vv. 39. Incipit f. 1. a.* (*c*)LODIVS TRIBV. PLE. DESIGNATVS. *In calce epistolarum:* Petrarchae epistola ad Ciceronem. *Deinde* Cornelii Nepotis vita Attici. *Sub hac:* FINIS. *et verss. 8., quorum primus:* Attice nunc totus ueneta diffuderis urbe. RR. *Absunt Graeca. (Lipsiae in Bibl. Senatus.)*

Utrum haec Romanam, an Romana Venetam praecesserit, non liquet. Sed cum e diversis Codd. ductae sint, Romana utique e meliore, Graeca servante, utraque principis Editionis nomen meretur. Ex permixtione partim lectionis Iensonianae et Romanae, partim aliorum interpolationibus, Aldi praesertim et Io. Bapt. Pii, paullatim conformata est Volgata ante Lambinum et Bosium. Utramque principem post absolutam meam Editionem nactus non sine fructu ad alteram Ed. redundaturo nunc contuli. De repetitione Iensonianae Neapolitana a. 1478. vide Edd. librorum de Officiis in hoc anno.

— — Mediolani, Ant. Zarothus 1475. 12. Kal. Octobres. Fol. *f. 196. verss. 41.*

є — — Romae, per Eucharium Silber alias Franck 1490. 16. Kal. Aug. Fol. *f. 198. verss. 38. et 39. Incipit ab Ep.* Barth. Saliceti et Lud. Regii ad Augustinum Maffeum. *F. 2 a. incipit contextus, qui finit f. 191 b.* R.

Sequitur in primis Iensonianam cum mutationibus nonnullis. Excusa sunt exemplaria 800.

— — *(Index, ut supra Ed. s. l. et a.)* Venetiis, *(sine typogr. nom.)* 1499. die 12. Iunii. Fol. *f. 132. verss. 45.*

— — ad M. Brutum liber unus; ad Q. Fratrem liber unus. Ad Tit. Pomp. Atticum Libri sedecim a Barthol. Saliceto et Ludov. Regio. Attici vita per Cornelium Nepotem. Venetiis *(sine typograph. nom.)* 1499. die 15. Iul. Fol.

Panzer T. III. p. 467. N. 2556. Vide, ne sit eadem Editio cum praeced., cuius exemplarium parti dies 12. Iunii, alteri 15. Iulii insignitus fuerit.

є — epistolarum ad Atticum, ad Brutum, ad Quintum fratrem, libri XX. Latina interpretatio eorum, quae in iis ipsis epistolis graece scripta sunt cet. Venetiis, in aedibus Aldi, et Andreae Soceri. Mense

Iunio 1513. 8. *f. 16. non num. Praefat. f. 331. num. f. 1. cum ancora.* R.

E coniectura, non e Mss. nonnulli loci mutati et interpolati sunt.

† — — nuper recogniti et maxima diligentia impressi. Florentiae, ex off. Phil. Iuntae 1514. m. Novembr. 8. *f. 12. non num. f. 335. num. f. 1. non num. cum lilio.*

Bibliotheca Universitatis Turicensis servat exemplar Hulderici Zuinglii. Editor Marianus Tuccius in Praefat. haec iactat: „Opus sane multi temporis et labor fuit — — corruptas antehac M. Ciceronis Epistolas recognoscere, et in quo pariter nostri seculi nonnulli viri doctissimi elaboravere." Sed, quantum equidem vidi, mera Aldinae est repetitio.

— — *(Index, ut in Aldina 1513.:)* Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri mense Ianuario 1521. 8. *f. 16. non num. f. 331. num. f. 1. cum ancora.* R.

Prioris Aldinae repetitio. Edd. Aldinae annorum 1518. et 1519. non exstant.

є — Epistolae ad Atticum cum notis Io. Bapt. Pii, quas heotinas quia mane elucubratas inscripsit. Bononiae 1527. Fol. R.

Maittaire T. II. p. 690.

є — Epistolae ad T. Pomp. Atticum et ad M. Brutum cum commentariis Io. Bapt. Pii, per quem ab infinitis detersae sunt mendis cumque Iodoci Badii Ascensii in easdem annotationibus. Parisiis, venundantur ipsi Ascensio et Io. Roigny. *In fine:* Sub prelo Ascensiano ad X. cal. Octobr. 1531. Fol. *f. 8. non num. f. 243. num.* R. *(Gottingae et Bernae.)*

Hanc quoque Ed. nuper contuli. Pius nominatim laudat Iani Lamolae antiquissimum Cod. et Cod. ab Andronico emendatum. Interdum quae afferuntur e Cod. Ursini, Pii manifesto sunt coniecturae huic a callido illo critico sublectae. Haud paucas autem lectt. Ed. Victorianae primae et Marginis Repett. Lamb., quarum origo et fundamentum antea me latuerant, itidem a Pio provenire deprehendi.

— Epistolarum ad Atticum, ad Brutum et ad Q. fratrem Libri XX. diligentissime recogniti. Parisiis, Simon Colinaeus 1532. m. Maio. 8.

Repetitio Aldinae.

— Epistolarum ad Atticum et ad Brutum libri XVII. nuper recogniti et maxima diligentia impressi. Parisiis, Iod. Badius et Io. Roigny 1532. 8. *f. 10. Praefat. et f. 388.*

є † — Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. fratrem summa diligentia castigatae, ut in iis menda quae plurima erant paucissima iam supersint. Pauli Manutii in easdem Epistolas Scholia, quibus abditi locorum sensus ostenduntur, cum explicatione castigationum, quae in his Epistolis pene innumerabiles factae sunt. Venetiis, apud Aldi filios 1540. mense Augusto. 8. *f. 2. non num. Praef. f. 24. Scholl.*

— Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. fratrem summa diligentia castigatae. P. Manutii in easdem Epistolas scholia. Parisiis, Rob. Stephanus 1543. *(in fine:* 1544. 4. Non. Ian.)

Repetitio praecedentis Aldinae.

* — — Epistolae ad T. Pomponium Atticum, Sebastiani Corradi brevissimis Interpretationibus illustratae. Venetiis, apud Hieron. Scotum 1544. Fol. *f. 197. num. f. 1. album.*

Raro κρίσιν attigit hic ante Manutium optimus harum Epp. interpres Corradus.

— — Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. fratrem multorum locorum correctione illustratae, ut post omneis omnium editiones exeant emendatissimae. In quas omneis epistolas Commentarii separatim impressi prope diem edentur, auctore Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis, Paulus Manutius 1544. *In fine:* Apud Aldi filios. Venetiis 1544. Mense Novembri. 8. *f. 2. non num. f. 333. f. 11. non num. Interpr. Graeca. f. 1. cum clausula, f. 1. cum ancora.*

Pulchra Editio. Commentarii illi editi sunt demum a. 1547. propriumque volumen constituunt: In Epistolas Ciceronis ad Atticum, Pauli Manutii Commentarius. Venetiis, apud Aldi filios 1547. 8. *f.* 6. *non num. f.* 469. *num. f.* 1. *cum ancora.* Vide in Scriptis Cic. illustrantibus. Aldina a. 1542. non exstat.

— — ex diversorum exemplorum praecipue Victorii ac Manutii collatione castigatae. Lugduni, Seb. Gryphius 1545. 8.

Lectt. var. habet in margine.

— — (*Index, ut in Ed. Paris. 1543.*) Lutetiae, ex off. Rob. Stephani 1547. 12.

— Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. fratrem multorum locorum correctione illustratae. Cum suis commentariis separatim impressis auctore Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis, apud Aldi filios 1548. 8. *f. 2. non num. f. 333. f. 11. Interpr. Graeca et f. 2. clausulae et cum ancora.*

Nonnulla exemplaria in fine habent a. 1549.

— Epistolae ad Atticum, Brutum et Q. Fratrem. Ex diversorum exemplarium praecipue Victorii ac Manutii collatione diligentissime castigatae. Apud Seb. Gryphium Lugduni 1548. 16.

— — (*Index, ut in Ald. 1548.*) Venetiis, apud Aldi filios 1551. mense Octobri. 8.

Repetitio praecedentis totidem foliorum.

— — (*Index, ut in Lugd. 1545.:*) Lugduni, Seb. Gryphius 1551. et 1555. 8.

* — Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. Fratrem. Cum correctionibus Pauli Manutii. Venetiis, apud Paulum Manutium, Aldi filium 1554. (*in fine:* 1555.) 8. *f. 2. non num. Praef. f. 333. num. f. 13. non num.*

Aldina a. 1553. non exstat.

— — (*Idem Index.*) Venetiis, apud Paulum Manutium 1558. (*in fine:* 1559.) 8. *f. 4. non num. Praef. f. 332. f. 16. non num.*

Repetitio praecedentis.

— — ex diverss. exempll. praecipue Victorii et Manutii collatione diligentissime castigatae. Ex castigatione Io. Boulierii. Lugduni, Antonius Vincentius 1560. et 1562. 8. *pagg. 610.*

— — *(Idem Index, ut in Ald. 1554.)* Venetiis, Aldus 1561. 8. *f. 387. f. 21. Interpr. Graeca.*

— — *(Idem Index, ut in Ald. 1554.)* Venetiis, Aldus 1563. 8. *f. 387. f. 21. Interpr. Graeca.*

Malaespinae curam (Venetiis 1563.) vide in Scriptt. Cic. illustr.

— — *(Idem Index, ut in Ald. 1554.)* Venetiis, Aldus 1564. 8.

* — — *(Idem Index, ut in Boulierii Ed. 1560.)* Lugduni, Ant. Vincentius 1564. 12.

— — *(Idem Index, ut in Ald. 1554.)* Venetiis, Aldus 1567. 8. *Utraque totidem foliis constat atque Ald. 1563.*

— — cum scholiis Mich. Bruti. Lugduni, Antonius Gryphius 1567. 12.

— — cum correctt. Manutii. In easdem D. Lambini annotatt. Antverpiae, ex off. Christoph. Plantini 1567. 16.

— — *(Index, ut in Ed. praeced. Plantiniana.)* Venetiis, ex bibliotheca Aldina 1570. 8. *f. 399. f. 1. cum ancora.*

— — castigatae. Io. Mich. Bruti in easdem Scholia. Lugduni, Anton. Gryphius 1571. 8.

ε * — — e bibliotheca Petri Victorii. Excusum in fine libri est vetustissimum S. C. Romae inventum. Florentiae, apud Iuntas 1571. 8. *f. 8. non num. Praef. f. 1. S. C. pagg. 656.* (9—656.) *f. 18. Interpr. Graeca. f. 1. cum clausula et lilio.* RR.

Editio optima exacta ad Cod. Medic. Franc. Petrarchae manu exaratum, quem in meum usum denuo contulit Franc. del Furia, et ad χρῆσιν in primis necessaria.

Operae autem pretium est hoc loco audire Petrum Victorium ipsum, quo consilio, quo animo in Tullii scriptis emendandis tamdiu elaborarit quaque modestia ipse de incepto suo iudicarit. „Nihil me aliud" inquit in Epistolarum Lib. I. p. 9. Ed. Florent. 1586., „ad emendanda Ciceronis scripta impulisse, nisi incredibilem quandam cupiditatem studiosos Ciceronis adiuvandi compertum unicuique esse debet; ea autem tanta fortasse fuit, ut me mearum virium oblivisci faceret maiusque onus suscipere quam mei humeri ferre valerent. Sed quoniam tu, Antoni Florebelle, ita vis, bona spe simus. Unum tantum velim (idque ex animo peto atque oro) reliquos, qui elegantissimis M. Tullii scriptis delectantur, aliquid operae laborisque in illis perpurgandis ponere; dedecus enim est, profecto dedecus omnium studiosorum, in libris illis ullam maculam reperiri, quos semper in manibus habent et ex quibus omnem sermonis nitorem verborumque elegantiam mutuantur: multa autem sunt menda, quae facilius a plerisque indicari possunt quam tolli; sed quod uni non conceditur, alii datum est; ac nulla prorsus errata subterfugere possent tantam doctorum et ingeniosorum hominum in hanc rem conspirationem; quod si hoc factum fuerit, quamvis sine laudis meae detrimento esse non possit, si quam in hoc negotio meruimus (illi enim et plura et meliora facile adferent) tamen incredibili laetitia afficiar: antiquum namque illud meum consilium sic adiuvabitur atque exitum reperiet, quod ego solus ad finem perducere non potui; atque id, quod tantopere expetivi et in quo tantum laboravi, perficietur.

Cur autem me pudeat auxilia aliorum in difficili atque honesta re implorare? cum ipse nihil cessaverim neque ullum laborem recusaverim, atque etiam profitear, quidquid potero, in reliquum tempus me libenter ac studiose esse facturum (1537)." — Hanc Victorii professionem ego meam feci semperque faciam, etiam ubi acerbius lacessitus ero.

— — cum praefat. Io. Sturmii et Pauli Manutii annotatt. Argentorati 1582. 8.

є * — Epistolae ad T. Pomponium Atticum ex fide vetustissimorum codicum emendatae, studio et opera Simeonis Bosii, Praetoris Lemovicensis. Eiusdem Animadversiones ad ampliss. virum Philippum Huraltum Chivernium, Galliae Procancellarium. Ratiasti Lemovicum, apud Hugonem Barboum 1580. Cum privilegio Regis. 8. *f. 4. non num. pagg. 622. f. 21. Interpret. Graeca et errata. Sequuntur:* Simeonis Bosii Praet. Lemov. Animadverss. in Epp. M. T. C. ad T. P. Att. Ad — Procancellarium. Ibid., id. 1580. 8. *f. 2. pagg. 372.* RR.

Usus est Codd. tribus optimis, nunc deperditis vel nescio ubi latentibus. Vide Hist. meam crit. Epp. ad Att. Repetitae sunt Bosii Animadvv. Francofurti, apud Andr. Wechelum 1580. 8.

є — — Ex fide vetustiss. Codd. emendatae studio et opera Sim. Bosii. Eiusdem Animadvv. seorsum impressae. Antverpiae, Christoph. Plantinus 1582. 8. *f. 4. non num. Praef. pagg. 486. f. 1. album. Deinde:* Animadvv. Sim. Bosii in Epp. Cic. ad Atticum. Editio ab emendatione ipsius auctoris ultima. Ibid., id. 1585. 8. *f. 4. non num. pagg. 208.*

Cum hac Animadvv. Editione secunda, fortasse emendatiore et auctiore destitutum esset exemplar Bernense Ed. Epp. ad Att. a. 1582., dum eas edo, contentus esse debui repetitione Wecheliana Ed. a. 1580. In Iacobi Bongarsii inedita ad Petrum Danielem Lutet. IIX. Novembr. a. 1579. epistola, quae asservatur in Bibliotheca publica Basileensi, haec leguntur: „Simeonis Bosii in M. Ciceronis epistolas ad Atticum emendationes prodierunt apud Lemovices; quas diligentius expressas Patissonius dabit; eam editionem exspectes suadeo." Ea tamen nunquam prodiit.

— Epistolae ad Att. libri XVI. Variis doct. viror. lectt. opera Alexandri Scot illustrati. Adiectae sunt D. Lambini et Fulvii Ursini emendatt. rationes. Lugduni, Io. Pillehotte 1589. 12.

* — Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum et ad Q. Fratrem. Editio ad Manutianam et Brutinam conformata. Adiectae sunt annotationes et castigationes, ex variis doctorum virorum scriptis selectae. Francofurti, Wechel 1590. 8.

Pars Ed. Sylburgianae Opp. omnium. In Annotationibus *(pagg.* 40.) nullam Bosii rationem habuit.

— Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum et ad Q. Fratrem cum correctionibus P. Manutii. Romae 1591. 8.

* — Epistolae ad T. Pomponium Atticum. Ex fide vetustissimorum Codd. emendatae, studio et opera Simeonis Bosii, Praet. Lemovic. Lugduni Bat., ex off. Plantiniana apud Franc. Raphelengium 1592. 24.

Editio satis correcte minutissimis typis expressa.

є — Epp. ad Atticum libri XVI. Eiusdem Epp. ad Q. Fratrem libri III. Incerti auctoris Epistola ad Octavium, non est enim Ciceronis. T. Pomponii Attici vita per Cornelium Nepotem. Ex Dionysii Lambini emendatione et recognitione nova Francisci Iunii Biturigis: cuius etiam notae accesserunt nunc primum editae. *(Heidelbergae:)* Ex typographeio Hieronymi Commelini 1594. 8. R. *(Bernae.)*

Usus est quattuor Codd. Palatinis interpolatis; ipsius autem coniecturae infelicissimae sunt. Ceterum admodum rara videtur haec Editio a bibliographis nondum memorata.

* — — *(Index, ut in Ed. 1590.)* Francofurti, apud Andreae Wechelii heredes, Claudium Marnium et Io. Aubrium 1599. 8.

Repetitio Sylburgianae.

— — *(Genevae,)* Excud. Iac. Stoer 1600. 12.

— — Ex recognitione Ausonii Popmae. Antverpiae 1607. 12. (?)

є — — Ex recogn. Ausonii Popmae. Eiusdem in eos commentarius et castigationes. Franckarae, ex off. Io. Lamrinck 1618. 8. *f. 4. non num. pagg. 487.* Ausonii Popmae commentarius. Ibid., id. 1617. *pagg. 280.*

Editio sordida. Popma quoque satis infeliciter criticum egit.

— — *(Idem index, ut in Sylburg. 1590.)* Francofurti 1625. 8.

— Epistolae ad Atticum, Brutum et Q. Fratrem. Amstelodami, G. Blaeuw 1632. 24.

— Epistolae ad Atticum aliosque. Ad optt. Edd. collatae. Lugduni Batav., ex off. Elzeviriana 1642. 12.

Pars Opp. omn. Ed. Elzevir.

є * — Epistolarum libri XVI. ad T. Pomponium Atticum ex rec. Io. Georgii Graevii cum eiusdem animadverss. et notis integris Petri Victorii, Pauli Manutii, Leonardi Malhespinae *(sic pro:* Malaespinae), D. Lambini, Fulvii Ursini, Sim. Bosii, Fr. Iunii, Aus. Popmae, nec non selectis Seb. Corradi, Is. Casauboni, Ioan. Fred. Gronovii, et aliorum. Amstelaedami, sumptibus Blaviorum et Henr. Wetstenii. 1684. 2 Vol. 8.

Usus est Graev. Codd. Balliolensi et Helmstadiensi, adiunxitque annott. ineditas Mureti et Bosii.

— Epistolae ad Atticum cum notis integris Victorii, Camerarii, Ursini et selectis P. Manutii, Lambini, Gulielmi, Gruteri, I. F. et I. Gronoviorum, I. G. Graevii et aliorum. Isaacus Verburgius collegit, disposuit, varr. lectt. ubique apposuit. Amstelaedami 1727. 2 Vol. 8. R.

Non est, ut dicunt bibliographi, praecedentis Ed. repetitio auctior et emendatior, sed Volumen VII. notissimae Ed. Verburburgianae, cuius aliquot exemplaribus praepositus est Index proprius, quasi esset Editio Epp. ad Atticum seorsim curata; hinc etiam raritas: pauca enim exemplaria hoc Indice instructa fuisse consentaneum est.

— Epp. ad Atticum libri XVI. Basileae, Schweighauser 1780. 2 Vol. 8.

— — et ad Q. Fratrem et ad M. Brutum ex rec. Ernesti. Halae, Orphanotr. 1783. 8.

— — secundum optt. novissimasque Editt. Manhemii 1784—85. 2 Vol. 8.

— ad Atticum, M. Brutum et Q. Fratrem epistolae ex Edit. Ernesti. Londini, Priestley 1820. 8.

Epistolae ad M. Brutum et ad Quintum Fratrem.

Ciceronis Epistolae ad Brutum et ad Q. Fratrem cum commentario Pauli Manutii. Francofurti, Wechel 1580. 8.

є * — Epistolarum ad Quintum Fratrem libri tres et ad Brutum liber unus. Cum notis integris Petri Victorii, Paulli Manutii, F. Ursini, Fr. Iunii, I. Gruteri et Iacobi Gronovii; nec non Francisci Hotomani Commentario in Epistolam primam de Provincia administranda. Adiectus est ad M. Tullium Fratrem de petitione consulatus Liber cum integro commentario Valerii Palermi Veronensis. Hagae-Comitum, apud Isaacum Vaillant 1725. 8. mai.

Ignotus est Editor; falso enim a nonnemine Rich. Bentleio attributa est.

є † — the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero with the latin text on the opposite page and english notes to each epistle. Together with a prefatory dissertation in which the authority of the said epistles is vindicated and all the objections of the rev. Mr. Tunstall particularly are confuted by Conyers Middleton. London, Rich. Manby 1743. 8. mai.

Epistolam primam ad Quintum Fratrem quaere in Epp. selectis.

Epistolae selectae.

M. T. Ciceronis Eloquentie fontis Epiſtole familiares (*cum epistolis aliorum scriptorum.*) *s. l. et a.* Fol. *f. 40. verss. 21. Incipit fol. 1 a. ut supra. f. 8 b:* Gloriofi doctoris Hieronimi Epiſtole familiares. *f. 11 b:* Simachi (*sic*) patritii ſenatoris rhomani Epiſtole familiares. *F. 15 a:* Epistole quinque Leonardi Aretini. *F. 16 a:* Ex Phalaridis epiſtolae digniores. *F. 22:* Magni oratoris Collucii Veneti epiſtolae variae de ſtudio liberalium artium. *F. 29 a:* diuerſe epiſtole ex diuerſis hinc inde auctoribus ſumma cum diligentia collecte: *quae finiunt fol. 40 a.* (*Coloniae, Io. Koelhof de Lubeck.*)

Ciceronis epistolae (69) selectae ad Lentulum et alios. *s. l. et a.* 8. mai. *f. 43. verss. 26. Incipit:* M. T. C. Epiſtolarum. Liber primus Incipit. *In fine:* M. T. C. Familiares feliciter Expliciunt. (*Romae, Barth. Guldinbeck.*)

— — *s. l. et a.* 4. min. *Goth. f. 32. Incipit:* M. T. Ciceronis Epiſtolarum Liber primus incipit. *In fine:* M. T. C. Familiares epiſtole feliciter Expliciunt. (*Fortasse Romae.*)

— — *s. l. et a.* 4. *Typis Romanis. f. 52. verss. 26. Initio legitur* Epiſtola Petri Bartolacii ad Alvarum de Cosma d. Neapoli 1471. *Finit in fol. ult. pag. adversa:* Marci. T. C. familiares Epiſtolae feliciter Expliciunt. (*Neapoli, Sixtus Riessinger.*)

— *s. l. et a.* 4. *Typis Rom. f. 40. verss. 25. Pag. adversa f. 1. alba. Pag. aversa incipit:* Benedictus Maffeus maioris praefidentiae Abbrevia‖tor aplicus Iohañi Schoenberger de Ruitlingē Cō‖ftañ. diocesis libroR impffori i urbe comoranti Salu‖tem dicit. *Ep. data est* Rome d. Nov. 1483. *f. 2 a:* M. T. C. Epiftolarum liber primus incipit ‖ M. T. C. S. D. Publio Lentulo Proconfuli. *Ult. f. b:* M. T. C. Familiares Epiftole. feliciter expliciunt.

— — cum expositionibus Martini Philetici. *s. l. et a.* 4. *Char. Rom. f. 175. verss. 33. F. 1 a:* PHILETICVS DIVO PRINCIPI SVO. IOANNI COLVMNAE Cardinali S. P. D. (*Accedunt duae Philetici invectivae in corruptores Latinitatis, Homeri Podiani epigramma ad Phileticum et index.*)

— Epistolae elegantiores ex libro epistolarum familiarium excerptae. Romae, Eucharius Silber *s. a.* 4. *f. 29. verss. 33.* F. *1 a. index, ut supra. In fine:* .·. Eucharius Silber impreffit Romae .·. ‖ Si quifquam lectas Ciceronis nosse tabellas ‖ Exoptat: prefens ufq; reuoluat opus.

— — (*Idem Index:*) Romae, Stephanus Planck 1492. die nona mensis Ianuarii 4. *f. 33. verss. 31. In fine:* Si quifquam lectas Ciceronis noffe tabellas ‖ Exoptat: prefens ufq; reuoluat opus ‖ Impreffum Romae per Stephanum Planck ‖ Anno dñi. M.CCCC.XCII. mēfis Iannarii ‖ die nona. Sedente Innocentio octauo Pōtifice ‖ maximo Anno octauo.

Quedam elegantiffime et breviores epiftole M. Tullii Ciceronis et C. Plinii. Daventrie per Iacobum de Breda *s. a.* 4. *Goth.*

— — *s. l.* 1499. 4.

— — Daventriae per Rich. Pafraet 1500. 4.

— — Ibid., id. 1503. 4.

— — Ibid., Iac. de Breda 1506. 4.

— Epistolarum familiarium liber septimus, *s. l. et a.* 4. *f. 24. non num. Sign.* A—F.

Duo electiffimi Ciceronis Epiftolarum libri: decimusquartus ad Therentiam uxorem et decimussextus ad Tironem libertum fuum. Lipzck, per Wolfgangum Monacensem 1504. Fol.

— — Ibid., id. 1507. 4.

— Epistole familiares atque breviores — — accurate collecte ac denuo vigili cura elimate. Ibid., id. 1510 et 1512. 4. *Goth. f. 52. non num. Sig.* A—I.

Curavit Hieron. Cingulatorinus Auripolitanus.

— Epistolae breviores. Viennae Pannoniae per Hieron. Philovallem et Io. Singrenium, expensis vero Leonhardi Alantse 1511. pridie Kal. Iunii. 4.

— — Ibid., Io. Singrenius, expensis vero Leonhardi Alantse. 4. Kal. Febr. 1515. 4.

— — duo electissimi (*ut in Ed. Lips.* 1504.) — — *cet.* Liptzk, Val. Schumann 1515. 4. *f. 19. non num.*

— — (*Idem Index:*) Ibid., id. 1518. 4.

— — (*Idem Index.*) Ibid., id. 1519. 4.

— — Epistole familiares atque breviores — — ex toto Epistolarum eius volumine collecte ac denuo vigili cura elimate. Lipsiae, Valent. Schumann 1517. 4.

— Libellus primus Epist. M. Tullii Ciceronis. *s. l. et a.* 4.

Oxoniae, Charles Kyrseth circa annum 1519. Cfr. Herbert typogr. antiq. Vol. III. p. 1398.

— Epistolae breviores. Iodoci Badii Ascensii conficiendarum epistolarum compendium. Viennae Pannoniae per Io. Singrenium. 1523. 4.

Ciceronis Epistolarum a doctis viris ad usum studiosae iuventutis selectt. libri IV. Monasteri Westphaliae, typis Bern. Reusfeld 1529. 8.

— Epistolae aliquot in studiosorum adolescentium usum collectae. Parisiis, apud Guil. Morelium 1549. 8.

— Epistol. famil. liber secundus. Aliquot item Epistolae ex caeteris libris tum ad Atticum, tum ad alios et duae ex Seneca selectae in gratiam iuventutis cum lat. et gall. interpretatione, Maturino Corderio authore. Parisiis, ex off. Caroli Stephani. 1555. 8.

— selectarum Epistolarum libri tres. Lutetiae, Mich. Vascosanus 1556. 4.

— Epistolae aliquot breves. Excudebat Henr. Stephanus 1577. 8.

— Epistolarum selectarum libri tres, quae ob perspicuitatem sententiarum et rerum varietatem litterariis ludis congestae sunt et distinctae. Mediolani 1581. 8.

— libri IV. Epist. a Io. Sturmio puerili educationi confecti. Cum doct. viror. argumentis et annotatt. quibusdam. Francofurti, heredes Egenolph. 1585. 8. *f. 64.*

† Analysis selectarum aliquot Ciceronis Epistol. dialectica et rhetorica ad methodum P. Rami conformata — — in gratiam iuniorum a Marco Beumlero exarata. (*cum textu.*) (*Spirae Nemetum*), typis Bern. Albini 1588. 8. *f. 4. non num. et pagg. 240.*

— selectar. ex Cic. Epist. volumina III. a Melch. Iunio. Lubecae, 1650. 8. et Hamburgi 1683 et 1699. 12.

— Epistolarum selectarum libri tres. Amstelaedami, Elzevir 1657. 8.

— Epistolar. libri tres a Io. Sturmio puerili educationi confecti. Lipsiae, *s. a.* 8.

— selectarum Epistolarum decas prima auctore Christiano Papenio. Brunsvigae, Zilliger 1678. 8. — decas secunda et tertia auctore Chr. Papenio. Ibid., id. 1680. 8.

† — Epistolarum selectarum libri quattuor, Germanice redditi et ad usum familiarem iuventuti scholasticae, selectioribus phrasibus inde exceptis ac epistolae cuivis singulatim annexis accommodati. Cura et labore Io. Friderici Utzingeri. Tiguri, typis Davidis Gessneri 1679. 8.

Editio ad modum Io. Rhenii, qui cum Riccio praelusit quodammodo Hamiltonii et Jacototii methodis linguas discendi nunc in mercatorum scholis multa cum laude usitatis.

— Epistol. libri IV. a Io. Sturmio sel. Editio nova. Goslariae, Dunker 1683. 8.

— ex recens. Chr. Daumii. Silusiae 1686. 8.

— Epistolae selectae in tres libros descriptae et notis quibusdam illustratae. Praemissa est disputatio de vera ratione informandae pueritiae ad castitatem atque elegantiam Latini sermonis auctore Is. Valckenaer. Leovardiae, ex off. H. Nautae 1709 et 1716. 8.

— Epistolae selectae ex rec. Io. Sturmii. Coburgi 1715. 8.

— Mit teutschen Anmerkungen, Halle 1716. 12.

*— Epistolarum selectarum libri tres, quos denuo recensuit et Notis auxit I. C. Schröderus. Accedunt eiusdem Animadvv. in Emendationes Viri Cl. Richardi Bentleii ad Ciceronis Disputationes Tusculanas a doctiss. viro Io. Davisio illustratas, nec non vita Ciceronis a D. Lambino collecta. Delphis Batav., Regnerus Boilet 1721 et 1724. Traiecti ad Rhenum, Iac. a Poolsum 1739. 8.

Tusculanas cum ederem, nondum nactus eram hanc Schröderi curam ceteroquin admodum levem.

— Epistol. select. libri III. ed. Io. Sturmio. Quibus accessit quartus a Io. Bittner, ex recensione Chr. Daum. Lipsiae 1741. 8.

— Epistolarum libri IV. a Io. Sturmio olim collecti nunc longe emendatius ac auctius editi a Chr. Iunckero. Coburgi 1743 et 1754. 8.

— Epp. selectae quaedam accurante Andrea Goetzio. Altorfii 1743. 8.

— Epistol. selectt. libri IV. cum comment. Bened. Herbesti. Nesvisii 1761. 8.

— — ex rec. Graevii. Nebst einigen Hülfsmitteln die Briefe des Cicero zu verstehen, von M. F. Sörgel. Lemgo, Meyer 1770. 12.

— Epistolae selectae. Mit teutschen Noten. Halle, Renger 1772. 8.

— — a Io. Sturmio cum select. quibusdam Epistolis Plinii. Coburgi 1779. 8.

Curavit Harles.

— — in usum stud. iuv. adornatae. Ed. IV. Halae 1781. 12.

* — Epistol. sel. libri VI., quibus res Romanae inde a Caesaris morte usque ad triumvirorum conspirationem continentur. Animadvv. in us. schol. illustravit Frid. Andreas Stroth. Berolini et Stettini, Frid. Nicolai 1784. 8.

Insunt nonnullae explicationes et coniecturae minime spernendae. Cfr. Biblioth. Germ. univ. in Append. ad Vol. 53—86. P. II. p. 1153.

— Epist. selectae ex rec. Graevii. Norimbergae 1784. 1796. 1800. 1808. 12.

— Epist. sel. libri IV. Nach der Zeitfolge geordnet und mit kurzen Einleitungen, erklärenden Anmerkungen und einem zweckmässigen Sachregister versehen. Berlin 1790. 8.

* — Auswahl der besten Briefe Cicero's von Benjamin Weiske. Erklärende Anmerkungen. Braunschweig, Schulbuchhandlung 1796. 8. Neue Auflage, daselbst 1813. 8.

— Epistt. selectae. Halae, Orphanotr. **1802.** 8.

— Epistolarum sel. libri IV. — (*ut Berol. 1790.*) — versehen von Io. Fried. Poppe. Zweite verb. und vermehrte Auflage. Berlin, academ. Buchhandl. (*Nauck*) **1804.** 8.

— Epistolae in us. schol. selectae ab I. A. Valpy. Secunda Ed. London **181 ..** 8.

* — Epistolae selectae ac temporum ordine dispositae in usum scholar. edidit Aug. Matthiae. Lipsiae, Vogel **1816.** 8. mai.

— Epistolae sel. temporis ordine dispositae cura S. N. I. Bloch. Havniae, Schubothe **1818.** 8.

— Epistolarum sel. libri IV. Bassani, Remondini **1823.** 12. (*et saepius antea.*)

* — Epistolae selectae ad temporum ordinem dispositae. In usum schol. ed. Aug. Matthiae. Editio secunda et aucta. Lipsiae, Vogel **1825.** 8.

* — — Ed. III. aucta et emendata Ibid., id. **1829.** 8.

— Epistolae selectae, quas in us. lectt. edid. B. A. Pflanz. Rotevillae, Herder **1831.** 8.

— Epistola prima ad Lentulum cum Graeca Theodori (*Gazae*) versione. Parisiis, Thomas Richard **1548.** 4.

In And. Schotti Tullianarum Quaestionum Lib. IIII. Antverpiae, Plantin. 1610. 8. p. 338. exstat Gulielmi Canteri interpretatio Graeca Epistolae ad Torquatum Lib. 6. Ep. 1.

— Epistola nona ad P. Lentulum dialecticis rerum summis breviter illustrata. Parisiis, Mich. Vascosanus **1550.** 4.

— Selectae ad Atticum epistolae capitibus Gallicis illustratae brevibusque notis enucleatae. Parisiis, **1762.** 12.

Curavit P. A. Alletz.

— Epistolarum ad Atticum liber primus et secundus. Parisiis, Mich. Vascosanus **1546.** 4.

Maittaire Index T. I. p. 266.

— Epistola ad Quintum Ciceronem fratrem, qua boni principis institutio continetur, quae antehac paucis visa et lecta est. Cracoviae, per Matth. Scharffenberg **1528.** 18 die Augusti. 8.

— Epistola (*prima Lib. I.*) ad Q. Fratrem cum collectaneis Io. Tislini. Lugduni, **1543** et **1565.** 8.

— Epistola prima Ciceronis ad Quintum fratrem. Cum ecphrasi a Christoph. Cornero conscripta. Basileae, Io. Oporinus **1553.** 8.

— Epistolae duae, una Q. Ciceronis ad M. Tullium de petitione consulatus; altera M. T. Ciceronis ad Q. Fratrem de ratione bene gerendae provinciae, Rolandi Petreii comment. illustratae. Parisiis, Wechel **1564.** 4. (*Bernae.*)

— Epistola ad Q. Fratrem et in eam Franc. Hotomani commentarius. Lugduni ad Salamandrae insigne, apud Ludov. et Carol. Penot fratres **1564.** 4. *pagg.* 79.

Edidit Aegidius Camureus.

— — Basileae 1578. 8.
Etiam in Hotomani Opp. T. III. p. 1417.
— Epistola ad Q. Fratrem. Parisiis 1587. 4.
Catal. Bibl. Bern. T. I. p. 317.
— — cum commentario M. Beumleri. Tiguri 1587. 8. (?)
Si haec Editio exstat, idem certe liber est ac sequens:

† Analysis dialectica, rhetorica, historica, ethica et politica M. Tullii de provincia recte administranda ad Quintum Fratrem Asiae propraetorem. Subiuncta est analysis dialectica et rhetorica orationis Ciceronis pro Q. Ligario ad Caesarem. Opera et studio Marci Beumleri confecta et edita. Spirae, typis Bernardi Albini 1589. 8.

— Epistola prima ad Quintum Fratrem de boni provinciae praesidis officio cum notis Nath. Chytraei. Hanoviae, Wechel 1608. 8.

Z. Schäferi comment. in Ciceronis Epist. de administranda provincia ad Q. Fratrem (*cum contextu.*) Tubingae 1628. 24.

* — cum annotationibus et Italica interpretatione Iac. Facciolati — in Eiusdem Exercitatt. in duas priores Cic. oratt. Patavii 1731. 8.

* — — in Io. Matth. Gesneri Enchiridio. Gottingae 1745. 8. *p. 58. seqq.*

— Epistola prima libri primi ad Q. Fratrem et de Nat. Deor. lib. II. c. 39—67. in usum schol. cum animadvv. nonnullis Caroli Lud. Baueri. Laubani, Wirthgen 1765. 8.

— — Vratislaviae, Korn 1782. 8.

ε * Clarorum virorum Epistolae, quae inter Ciceronis Epistolas servatae exstant, in unum volumen redactae et duplici commentario illustratae a Beniamino Weiske. Lipsiae, Crusius 1792. 8.

SCRIPTA PHILOSOPHA.

Ciceronis *scripta philosopha.* Romae, Conr. Suueynheym et Arnoldus Pannartz 1471. 2. Vol. Fol. (*verss. 36—38.*) *Vol. I. continet f. 164. incipitque f. 1 a:* M. Tul. Ciceronis in dialogū de natura deorum ad Brutum Prefatio; *quod opus finit f. 48 b. F. 49 a:* M. Tull. Ciceronis in librum de diuinatione Prefatio; *quod opus finit f. 87 a. versu 22.* fureximus. Finis. *F. 88 a. incipiunt* libri de Officiis. *F. 133 a.* Paradoxa. *F. 139 a.* Laelius. *F. 151 a.* Cato maior. *F. 162 a. clausula d.* Romae 1471. 27. April. *F. 162 b.* Versus duodecim sapientum *cet. Finit f. 164 a. voc.* Finis; *sub quo verss. 11., quorum ultimus:* omnisq; celestium cetus candidissimus faxit.

Vol. II. F. 205. Incipit F. 1 a: M. Tullii Ciceronis in Questiones Thusculanas ad M. Brutum praefatio: *quae Tuscul. finiunt f. 65 b. F. 66. album. F. 67 a. incipiunt* libri de finibus bonorum et malorum, *qui finiunt f. 131 a. vers. ult.:* ad Pomponium perreximus

omnes. *F. 131. album. F. 132 a. incipit* «de fato liber" *finitque f. 138 a. F. 138 b.* Q. Cicero de petitione consulatus ad M. Tullium fratrem. *F. 144 b.* Pars libelli Ciceronis de philosophia. *F. 150 a.:* M. Tulii Ciceronis de essentia mundi siue in Timeo Platonis Liber Incipit. *F. 156 a. incipiunt* Academicae Questiones. *F. 179 b.* Ciceronis dialogi de legibus. *Finit f. 205 a. Clausula exhibet d.* 20. Septembr. 1471. *Auctoribus aliis Vol. primum continet f. 77. de Officiis, Paradoxa, de amicitia et de senectute, volumen alterum foliorum 293. cetera scripta.* RRR. (*Basileae.*)

Editio princeps scriptorum philosophorum, et summae raritatis, ubi ambo volumina iuncta sunt. Plerumque singulatim dumtaxat reperiuntur.

— de Officiis, de amicitia, de senectute, somnium Scipionis, Paradoxa, Tuscul. Quaestiones. *s. l. et a.* 2 Vol. Fol. *f. 212. verss. 31.* RR.

Impr. Parisiis ab Udalr. Gering, Crantz et Friburger circa a. 1471. Vide infra in Edd. libr. de Officiis et Quaest. Tusc.

— de natura deorum, de divinatione, de fato, de legibus, liber ad Hortensium, (*Modestus, i. e. Pomponius Laetus*) de disciplina militari. Venetiis, Vindelinus de Spira 1471. 4. mai. *Fol. 187. non num. f. 150, 151. et ult. alba,* (*auctore* Fossi I. p. 531. *f. 188.*) *verss. 34. F. 1 a. incipit:* «Marci Tullii Ciceronis uita ex dictis plutarchi breuiter excerpta", *quae amplectitur folia 3. Sequitur fol. 1. cum 25 verss.* Cornelii Severi de morte Ciceronis, *sub quibus:* A. D. M.CCCC.LXXI. *Pag. aversa huius folii alba est. F. 5 a. incipiunt* libri de natura deorum, *qui f. 65 b. finiunt vv.:* ϑέος χρατιν (*sic*). *F. 66 a. incipiunt* libri de divinatione; *finiunt f. 111. b. F. 112 a. incipit* liber de fato. *F. 119. b. post vers. 23. incipiunt* de legibus libri; *finiunt f. 149 b. F. 150. et 151. alba. F. 152 a. incipit* liber ad Hortensium; *f. 181 b.* de disciplina militari. *Finit f. 186 b.:* Raphael Iouenzonius Ister. P. Aluisio ‖ Donato Patric. Ven. D. D. ‖ Spyra tuum nomen toto celebrabitur orbe: ‖ Quae Vindelini diceris esse Parens *cet.* — RRR. (*Gottingae.*)

— Officia, Paradoxa, de amicitia, de senectute, somnium Scipionis, de legibus. *s. l. et a.* Fol. *Rom. char. f. 144. verss. 36. Textus incipit post 7 versuum titulum.* Officia *finiunt f. 67 a. verss.:* Tullius hesperios *cet. Pag. aversa eiusdem folii incipiunt* Paradoxa; *f. 74 b.* de amicitia; *f. 98 b.* Cato maior; *f. 107 b.* Somnium Scipionis; *sequuntur* Versus XII sapientum. *F. 113. est album. F. 114 a. incipiunt* libri de legibus. *Finit f. 144 a. vocabulo:* Finis. RR.

Venetiis impr. iisdem typis, quibus Ausonius et Virgilius (Venet.) 1472. Libri de legibus, quorum haec editio princeps esse perhibetur, etiam separatim reperiuntur.

— de legibus, Academicae quaestiones, de divinatione, de natura deorum, de finibus bonorum et malorum, de petitione consulatus, de fato, de universitate, Somnium Scipionis. Venetiis, per Christoph. de Pensis 1494. 15. cal. April. Fol. *f. 140. vv. 45.*

— de natura deorum, de finibus bonorum et malorum, de legibus. Bononiae, Benedict. Hectoris 1494. 4 idus Decembris. Fol.

IN HOC Volumine Continentur haec. Marci T. C. De Finibus Bonorum et MaloR Libri Quinq;. De Natura Deorum. Libri Tres. De Divinatione. Libri duo. De Legibus. Libri duo *(sic)*. Fragmenta ex Academicis. In duobus divisa libris. De Fato. Libellus Vnus. De Mundo Libellus Vnus. De Somno *(sic)* Scipionis, Libellus: qui ex. VI. De rep. exceptus *(sic)* est. Venetiis, per Symonem Papiensem dictum Biuilaqua 1496. die 18. mensis Septembris. Fol. *f. 144. verss. 43—45.*

Cfr. omnino Hain Repertorium N. 5232. Exemplar Bernense in Catal. T. I. p. 319. mance ita indicatum: M. T. C. de natura Deorum Venet. 1496. fol. in voluminis principio habet tantum alterum Indicem correctiorem, qui in Hainiano exstabat folio 45 a.

Editionem partim Regiensem, partim Bononiensem Bazalerii de Bazaleriis aa. 1498—99. vide in singulis libris.

Ciceronis opera philosophica. Parisiis, in aedibus Ascensianis. Kal. Decembr. 1511. Fol. *f. 8. non num. Praef. f. 172.*

— — Ibid., apud Iodocum Badium Ascensium 14. cal. Oct. 1521. Fol. *f. 6. non num. Praef. f. 176. num.*

Non sunt nisi partes Ascensianarum primae et secundae, quae interdum separatim reperiuntur.

ε † HOC VOLVMINE HAEC CONTINENTVR. M. T. C. de natura deorum. Libri III. De divinatione. Libri II. De finibus bonorum et malorum. Libri V. Q. C. De petitione consulatus ad M. T. C. Fratrē. Lib. I. Dę universitate. Liber I. De somnio Scipionis, e sexto de rep. Liber I. De re militari. Liber I. Omnia à Nicolao Bucinensi diligenter castigata. *In fine:* Impressum Florentiae, opera et sumptu Philippi Iuntae. Anno à nativitate D. XVI. Supra mille (1516.) mense Octob. Leone Decimo Pontifice. 8. *f. 350. num. f. 1. alb. f. 1. cum lilio. f. 8.* Privilegium Leonis X. et « Quaedam notatu digna." *(Index.)* R.

M. T. Ciceronis de philosophia volumen primum, in quo haec continentur. Academicarum quaestionum Editionis primae liber secundus. Editionis secundae liber primus. De finibus bonorum et malorum libri V. Tusculanarum quaestionum libri V. Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri. mense Maio. 1523. 8. *f. 8. non num. Praefat. Franc. Asulani. f. 251. f. 3. alba. f. 1. cum clausula. f. 1. cum ancora.*

Secundo volumine haec continentur. M. T. C. de natura Deorum libri III. De Divinatione libri II. De Fato liber I. Scipionis somnium, quod è sex de rep. libris superest. De Legibus libri III. De Vniversitate liber I. Q. Ciceronis de petitione consulatus ad Marcum fratrem liber I. Venetiis *cet.*, mense Augusto 1523. 8. *f. 214. f. 2. cum clausula et ancora.* R.

— philosophica. Ex Petri Victorii castigatione. Lugduni, Seb. Gryphius 1540. 2 Vol. 8.

† — post Naugerianam et Victorianam correctionem emendata a Io. Sturmio. Argentorati, Wendelinus Rihel 1541. 2 Vol. 8.

ε — de Philosophia prima pars id est Academicarum quaestionum (*cetera, ut in Ald. 1523.*). Quibus in libris quae in aliis Editionibus depravata legebantur multa sunt restituta. Venetiis, apud Aldi filios **1541**. mense Augusto. 8. *f. 4. Praef. f. 251. f. 1. cum clausula et ancora.*

— de Philosophia volumen secundum id est (*cetera ut in Ald. 1523.*) Quae sunt omnia, collatis libris manuscriptis, et adhibito iudicio, locis non paucis emendata. Venetiis, apud Aldi filios **1541**. 8. *f. 4. Praef. (Quartum album.) f. 214. f. 32. non num. Schol. Pauli Manutii. (Gottingae.)*

Nova recensio.

— 2 Partes. Parisiis, Rob. Stephanus **1543**. 8.

— opera philosophica. Parisiis, Simon Colinaeus **1545**. 2 Vol. 12.

— ex castig. Victorii et Manutii. Lugduni, Seb. Gryphius **1546**. 12.

— (*Index, ut in Ald. 1541.*) Cum scholiis et coniecturis Pauli Manutii de locis aliquot obscurioribus. Venetiis, apud Aldi filios **1546**. 2 Vol. 8. *Vol. I. habet duas partes: prima f. 4. Praef. f. 147. f. 9. Altera incipit a numero f. 148., usque ad 251.; deinde f. 7. (unum album.) f. 1. cum ancora. Vol. II. f. 3. Praef. f. 213. num. (numerus incipit: 2.) f. 16. Schol. (Gottingae.)*

Repetitio Aldinae 1541., uti sequens:

— — (*Idem Index.*) Ibid., apud Aldi filios **1552**. 2 Vol. 8.

— — Lugduni, Seb. Gryphius **1552**. et **1557**. 2 Vol. 12.

— — emendata a Io. Sturmio. Argentorati **1553**. 2 Vol. 8.

Catal. Bibl. Bern. T. I. p. 321.

† — — (*Index, ut in Ald. 1546.*) Venetiis, apud Paulum Manutium **1555 — 1556**. 2 Vol. 8. *Vol. I. f. 4. Praef. f. 251. f. 12. Schol. f. 12. Indicis. f. 1. album. Vol. II. f. 3. Praefat. f. 227. f. 19. Schol. f. 15. Indicis.*

Repetitio Ald. 1546., nisi quod index rerum et verborum additus est.

— — (*Idem Index.*) Venetiis, Aldus **1560**. 2 Vol. 8. *Vol. I. f. 286. f. 38. non num. Schol. f. 7. Ind. f. 1. album. Vol. II. f. 258. f. 25. Schol. f. 9. Ind.*

Scholia in hac Ed. sunt aucta et Index emendatus.

— — ex castigatt. Io. Boulierii. Lugduni, Frellon **1560**. 2 Vol. 8.

Sequitur Victorium et Manutium.

— — (*Idem Index.*) Lugduni, Antonius Vincentius **1562**. 2 Vol. 16.

— — (*Index, ut in Ald. 1560.*) Venetiis, Aldus **1562**. 2 Vol. 8.

— — (*Index, ut in Ald. 1560.*) Venetiis, Aldus **1565**. 2 Vol. 8. *Vol. I. f. 286. pagg. 83. Schol. pagg. 17. Ind. Vol. II. f. 258. f. 17. Schol. f. 12. Ind. f. 1. cum ancora.*

— — emendata a Io. Sturmio. Argentorati, Ios. Rihel **1569**. 2 Vol. 8.

ε * — — Lugduni, Antonius Gryphius **1570**. 2 Vol. 16.

Est proprie pars Ed. Brutinae Opp. omnium. Usus est Brutus Codd. Gryphianis perbonis in Academic. lib. IV. s. Lucullo et in Tusculanis.

— — ex emendatione D. Lambini. Parisiis, Io. Benenatus 1573. 2 Vol. 8.

Catal. Bibl. Bern. T. I. p. 321. Est pars Repetitionis Lambinianae.

— — emendata a Io. Sturmio. Argentorati, Ios. Rihel 1574. 2 Vol. 8.

— — Lugduni, Ant. Gryphius 1576. 2 Vol. 12.

Repetitio Editionis 1570.

Aldi Manutii Iunioris in M. T. Ciceronis de philosophia volumen primum et secundum Commentarius. Venetiis, apud Aldum 1583. 2 Vol. Fol.

Pars Cic. Opp. omn. Ed. Aldi Nepotis, quae interdum separatim reperitur.

Ciceronis philosophica. Editio ad Manutianam conformata. Adiectae sunt ad marginem annotatt. et castigatt. ex variis doctor. virorum scriptis selectae. Francofurti, Wechel 1590. 2 Vol. 8.

Pars Ed. Sylburgianae.

— (*Idem Index.*) Hanoviae, typis Wechelianis 1606. 2 Vol. 8.

* M. Tullii Ciceronis Fines, Officia, Laelius, Cato, Paradoxa, Somnium Scipionis cum parallelis philosophicis Graeco-Latinis. Accedunt Io. Henrici Boecleri Rudimenta officiorum posthuma. Argentorati, ex off. Iosiae Stadelii 1680. 8. *f. 6. non num. Pagg. 704. f. 26. non num. Parallela philosophica Graeco-Latina in Officia Ciceronis.*

Haec Editio a bibliographis non memorata nullum habet usum criticum.

— — opera philosophica cum interpretatione et notis Fr. l'Honoré ad usum Delphini. Tomus primus. Parisiis 1689. 4. *f. 17. Praef. Pagg. 86.* Acad. Quaest. *P. 172.* de Finibus. *P. 196.* Tuscul. *P. 160.* de Nat. Deor. *P. 55.* de Officiis Lib. I. *P. 32.* Lib. II. RR.

Exstat huius Ed. rarissimae repetitio clandestino facta, in qua pagg. numerus continuatur usque ad n. 614.; absunt autem Libri II. priores de Officiis, qui in Ed. prima alterius Tomi initium constituere debebant. Interrupta scilicet est haec Editio per se pessima morte ducis de Montausier, qui expensas subministrabat.

ϵ — opera philosophica ex recens. et cum notis Io. Davisii. Cantabrigiae, Crownfield 1736. seqq. 6 Vol. 8.

Curavit Davisius Academ., de Finibus, Tuscul. Quaest., de Legibus, de Nat. Deor., de Divinat. et de Fato. Quominus reliqua scripta philosopha absolveret, morte impeditus est. Annotatt. suas usque ad medium Librum III. de Officiis perductas per testamentum tradidit Richardo Mead, qui, cum otio careret, amici schedas alii viro docto commisit, apud quem incendio absumptae sunt.

— opera philosophica. Ad exemplar Londinense (*Opp. omn. 1681.*) edita. Berolini, Haude 1745. 4 Partes 8. min.

Repetitio Gruterianae recensionis nitida, sed parum correcta. Curavit Io. Petrus Miller.

— — **Editio II. Ibid., id. 1772. 4 Partes 8.**

— **opera philosophica cum comment. in usum Delphini. Patavii, typis Seminarii 1773. 2 Vol. 8.**

— **philosophicorum librorum Pars I. continens Laelium ex rec. I. G. Graevii — cum notis var. curavit indicemque adiecit Io. Georg. Lenz. Hildburgh. 1778. 8.**

Haec Editio continuata non est.

ϵ * **Quaestiones Academicae, Tusculanae, de Finibus bonorum et malorum et de Fato ad Editionem Gronovii. Accedit Varietas lectionis e Codicibus Vindobonensibus. Viennae, typis Ioan. Thom. Nob. de Trattnern 1786. 8. mai.** *pagg. 1 — 456. contextus. p. 457—598. p. 599—625. Var. Lectt. p. 7. Erratt.*

Hanc Editionem, nescio cur apud nos certe admodum raram, curavit F. C. Alter. Codices, quos, ut videtur, haud nimis diligenter excussit, omnes sunt Italici deteriores.

— **opera philosophica in usum iuventutis academicae. Viennae, sumptibus Chr. F. Wappler prodiit ex officina Ign. Alberti 1790. 2 Vol. 8.**

Non est nisi correcta repetitio Ed. Ernestianae minoris cum varietate Gruteriana.

— **opera philosophica Vol. I. Tuscul. disputatt. libri V. Ad opt. Editt. recudi curavit et selectam lectionis varietatem adiecit A. M. Köl. Wirceburgi 1798.** (*cum novo indice:* **Hannoverae, Hahn 1808.) 8.**

Haec Editio continuata non est.

— — **Opera moralia. Mediolani, Mussi 1803. Fol.**

Editio splendida nullius pretii.

— **opera philosophica ex rec. Io. Aug. Ernesti. Roterodami, apud Looy et van Spaan 1804. 3 Vol. 12.**

ϵ * — — **ex recens. Io. Davisii et cum eius commentario edidit R. G. Rath. Halae, Kümmel 1804—1819. 6 Vol. 8.**

Repetitio Davisianae parum elegans. Rathii ipsius coniecturae quinque Voll. prioribus praemissae plerumque infelicissimae sunt. Sextum Vol. (de Nat. Deor.) admodum negligenter curavit Schuetzius.

ϵ * **Ciceronis philosophica omnia. Ex scriptis recens collatis editisque libris castigatius et explicatius edidit Io. Aug. Goerenz. Lipsiae, in libraria Weidmannia 1809—1813. 3 Vol. 8. mai.**

Continet libros de Legibus, Academica, et de Finibus. Indices curavit C. Beierus. Vide infra in singulis libris.

— — **secundum optimas novissimasque Editiones. Manhemii, Loeffler 1823. 5 Vol. 8.**

Omnes hae Manhemianae Edd. recentiores non sunt nisi partes Ed. Manhemianae Opp. omn. 1783., novis indicibus instructae.

— **opera philosophica. Vol. I. Cato maior, Laelius, Paradoxa et Somnium Scipionis. Vol. II. De officiis libri III. Cum notis philologicis, historicis, geograph. atque antiquitat. spectantibus adnexaque Germanico-Latina phraseologia ex his operibus collecta in usum schol. edita ab Ignatio Seibt. Pragae, Kronberger 1825—1827. 8.**

Editio erroribus referta.

De Bouilleti Ed. Parisiensi 1828. seqq. vide in Operibus omnibus.

— opera philosophica selecta cum notis. Parisiis, Barbou **1786** 8.

— opera selecta philosophica. Ad usum schol. notis illustrata. Havniae **1801**. 8.

Academica.

Academicorum Editio princeps exstat in Opp. phil. Romae, Suueynheym et Pannartz 1471. Fol.

* Ciceronis Academicarum quaestionum liber quartus, et fragmentum primi. Eiusdem Tusculanarum quaestionum ad M. Brutum libri quinque cum rerum et vocabulorum indice locupletissimo. Basileae, apud Valentinum Curionem **1525**. Cal. Ian. 8. *f.* **20**. *non num. Indicis. pagg.* **347**. *f.* **2**. *non num.*

— quaestiones Academicae. Parisiis, Sim. Colinaeus **1535**. 8.

Maittaire Ind. T. I. p. 272.

Audomari Talaei Academia. Ciceronis academicarum Quaestionum libri duo cum Audom. Talaei commentariis. Parisiis, ex typogr. Matthaei Davidis **1550**, 4. Idib. Maii. 4.

Etiam in Talaei Opp. Basileae, Perna 1576. p. 1—170.

Turnebi Editionem vide in Indice Edd. librorum de legibus in a. 1596.

€ Ciceronis Academica. Recensuit, varior. notis suas immiscuit et Hadr. Turnebi Petrique Fabri commentarios adiunxit Ioan. Davisius. Cantabrigiae, typis academicis, sumptibus Corn. Crownfield **1725**. 8.

† — — Editio secunda, emendata notis auctior et indice rerum locupletiori. Ibid., id. **1736**. 8.

Nova recensio; in libro I. usus est Codd. 3., in secundo Codd. 9. Insunt annotatt. integrae Victorii, Camerarii, Manutii, Lambini, Ursini et excerpta ex commentario inedito Franc. Guyeti praeter Turnebi Commentarium et Petri Fabri Observationes.

crepantes." Anno etiam sequenti Lambinum Romae mansisse cum Cardinali suo ex Ioachimi Perionii epistola habemus data VI. Id. Sextil.[1] et ex alia Lambini ipsius Non. Iun. in qua tamen:[2] „*De reditu nostro,* inquit, *in Galliam nihildum certi tibi meis litteris significare possum. Existimo tamen nos Septembri mense de Italia relinquenda cogitaturos.*" Sed rediisse illum non puto, cum et Turnonium Iulius III. non libens Italia, immo Roma tunc excedere pateretur, et ad foedus sanciendum cum Henrico II. a. 1552. eodem auctore inductus sit. Scribit Ludovicus Donius d'Atticliy[3] circa a. 1553. Turnonium ad Lugdunenses suos venisse: (nam eius urbis Episcopatum anno 1551. XIII. Kal. Augusti susceperat[4]:) eaque in urbe mansisse biennium, ad annum 1555., quo iussus est cum Carolo Lotharingo Cardinali extra ordinem Romanam suscipere legationem. Lambinum certe anno 1555. aut 1556. Parisiis fuisse, ex epistola prima, quam vulgamus, facile colliges; ait enim, quiddam sibi dixisse Adrianum Turnebum, „*cum anno*, inquit, *superiore Lutetiae essem*", immo idem initio eiusdem epistolae diserte narrat: scriptam vero eam epistolam biennio, postquam Muretus anno 1554. commentarios suos in Catullum vulgaverat, testis est idem Muretus.[5]

3. Atque idem hic annus 1557. sive, ut magis arbitror, superior 1556. viros hos doctos et eruditos artissime innxit, quam necessitudinem mutuis officiis et litteris diligenter cultam plagii suspicio quaedam diremit. Cum enim anno 1559. suos Variarum Lectionum libros Muretus vulgasset, hos legens Lambinus, putavit, se ibi repperisse multa, quae erant sua, in commentariis scilicet ad Horatium scripta; quos commentarios Muretus partim Lambini rogatu, partim sua sponte legerat. De eo ergo per litteras, quae vulgatae sunt a Bruto[6], questus est cum Mureto Lambinus. Quid rei sit, non ausim hîc definire. Sunt enim, qui Muretum reum faciant, Niceronius[7] praesertim; sunt, qui Lambinum non modo hoc loco et Mureti causa, sed alias etiam plagii damnent.[8] Atque ut taceam Giphanium[9], quem Niceronius, quod Lambini inimicissimum esse vult, huius rei produci testem non pateretur, Simeon Bosius[10]: „*Haec*, inquit, *ego quondam Lambino; qui ea suo more edidit, longe aliter quam dicta fuerant, suppresso auctoris nomine.*" Et vero naviter fuisse impudentem Muretum oporteret, ut anno 1569., id est, vivo Lambino, Giphanio ipsi scriberet[11]: „*Equidem possum, mi Giphani, ostendere tibi, si hîc sis, litteras ipsius manu scriptas, quibus mihi gratias agit de locis quibusdam sibi explicatis, quos ipse postea questus est a me subreptos esse: et eas litteras diligenter adservo, non ut edam (neque enim tanti esse duco:) sed ut ostendam interdum amicis, si quando de me et Lambino sermo incidit.* Ex quibus quidem postremis verbis illud etiam colligitur, cur editis a Lambino litteris, quibus

---

1) Ib. pag. 340. — 2) Ibid. pag. 375. — 3) Flor. Hist. Card. tom. 3. pag. 96. — 4) Vide Gall. Christ. rec. edit. tom. 4. col. 163. — 5) Comment. in Catullum ed. a. 1558. pag. 75. 2. — 6) pag. 415. — 7) Tom. 27. Mémoires pag. 163. — 8) V. Thomasium de plag. litter. §. 448. 480. — 9) lib. 2. ep. 74. 76. cet. *Mureti edit. Commin.* cet. — 10) in lib. 1. Ciceron. ad Att. — 11) lib. 3. ep. 7. Muret.

hoc ille plagium Mureto exprobrabat, hic eo vivo (quod Niceronius opponit) tacuerit, et solum mortuum mendacii et imposturae accusarit. Noluit scilicet vir probus et mitis litem de eo intendere, quod non tanti esse ducebat; praesertim cum anno 1561., quo sunt illae litterae typis editae, Cardinalis Turnonius viveret, qui in clientelam suam Lambinum iampridem acceperat; Muretus vero Cardinalem illum multis ab eo beneficiis acceptis maxime observaret. Mortuis autem Turnonio et Lambino, cum se occasio offerret edendi litteras suas, amplexus est eam Muretus, ut de hac re breviter aliquid Nicotium, qui epistolas suas postulabat, doceret. Itaque scripsit, ut Niceronius existimat, de Lambino[1]: „*Hoc autem aequiore animo passus sum exstare aliquas epistolas meas, quod quaedam multis iam abhinc annis editae sunt pro meis, de quibus scribendis ego ne per somnium quidem unquam cogitavi. Confinxerat eas is ipse, qui tamquam a me ad se missas divulgaverat, homo eruditus ille quidem, sed improbus, et natura nocendi ac malefaciendi cupidus, cum plurima et maxima officia, quibus a me affectus erat, summis iniuriis compensare vellet. Qua de re olim a me graviter obiurgatus, multis cum lacrimis a me veniam petiit, laqueo digna commisisse se fassus, cum ei sermoni Hadrianus Turnebus et Ioannes Auratus praesentes interessent.*" Acrius sane ac vehementius, quam Muretum decebat, in Lambinum invectus est, si de Lambino loquitur. Sed ad facti veritatem quod pertinet, testem ipse producit non modo Turnebum, qui iam obierat, sed Io. Auratum, qui tunc vivebat; quos quidem Lambinus ipse[2] „*viros doctos, sibi notos ac familiares, Galliae atque adeo totius Europae principes, collegas suos*" appellat. Quod autem Auratum quoque testem Niceronius reiiciendum putet, quod Muretum patriae necessitudine et cognatione aliqua contigerit, id eum iniuria facere, veritum scilicet, ne causa Lambinus suus cadat, existimo.

Nec vero is erat Muretus, ut ad commendationem operis sui pauculis illis, quae Lambinus nominavit[3], emendationibus sive animadversionibus indigeret. Contra vero, se nonnulla subministrasse Lambino professus aperte fuerat[4], ut si ex hominibus causa existimanda sit, dubium esse non possit, eam obtenturum Muretum. Sed, ut dixi, nolo huic me dirimendae causae admiscere, praesertim cum sine utriusque culpa fieri id facile potuerit, ut alteruter sua crederet et propria, quae in mentem alteri etiam vel sua sponte, vel admonito olim ab alio, sed earum rerum oblito postea, venerant. Illud solum, ut dixi, in hac re moleste fero, adeo contra Lambinum exarsisse Muretum, ut in libro suo *Variarum Lectionum* locos illos omnes, in quibus cum laude eum appellaverat, calamo deleverit (etsi postea, cum rursus ederentur, retinuit) et in adiunctis libris, quem satis liberaliter commendaverat, acriter perstrinxerit[5]: licet Lambinus, cum Lucretium ederet anno

1) Est haec prima epistola in editione Mureti epistolarum Parisiensi anni 1580. in Cominiana lib. 2. 1. — 2) In Epist. ad Lucret. — 3) Sunt lib. I. var. Lect. 8. II. 12. III. 8. 9. IV. 15. — 4) Lib. VI. var. Lect. cap. 8. Hanc correctionem a me acceptam Dionysius Lambinus vir acutissimo ingenio acerrimoque iudicio praeditus rettulit in Scholia in eos libros sua. Conf. Lib. VIII. 15. — 5) *Var. lect. lib.* XVIII. cap. 7. At Lambinus quam multa

1563., librum illi IV., praefixa epistola, qua et amicissime appellat, et hominem „*summa secum necessitudine coniunctum, omnique doctrina liberali praestantem*" dilaudat, dedicavit; addens etiam in eo ipso multum illi debere, quod et princeps ad illud opus suscipiendum ac perficiendum stimulos admoverit, vulgata Lucretii exempla cum exemplaribus antiquis ac Mss. conferentem assidue adiuverit; denique, „*tu,* inquit, *saepe ex obscuris et propemodum oblitteratis veteris scripturae vestigiis veram lectionem (quo ingenio, quoque acumine es) sagacissime odorabaris.*" Profectas hasce laudes ex metu quodam, quod Mureti iram vereretur, censet Giphanius.[1] Ego cum Scaligero[2] virum eum bonum puto: quamquam, quod Giphanium etiam ipsum virum certe doctum[3] adeo offenderit, et Lucretium cum commentaretur, saepius eidem male dixerit[4], non satis desiderare hominis probitatem modestiamque possum.

4. Sed ut ad eius facta redeamus, Cardinalis Turnonius, quemadmodum idem Lambinus in litteris, quibus Horatii satiras et epistolas eidem dedicat, significat, anno 1555 Romae erat, ex Gallia nimirum redux, et Roma scriptis litteris Henrico II. regi de induciis cum Hispaniarum rege gratulatus est. Idem auctor Paullo IV. fuit, ut ab armis discederet et foederi sanciendo operam daret. Quod cum non impetrasset, veniam Roma abeundi postulavit. „*Voluntate,* ait Lambinus, *et concessu ipsius Pontif. Max. ex Urbe discessisti: triennium et eo amplius Roma abfuisti, menses circiter quindecim in Umbria, sex Venetiis, in oppido Corneliano annum commoratus es. Inde longo itinere, valetudinis causa suscepto, ad aquas Lucenses de medicorum sententia profectus es.*" Haec quoque Lambini, qui Cardinalem comitabatur, itinerum ratio fuit. Itaque cum triennio et eo amplius Turnonius Roma abfuerit ante Pauli IV. mortem, quae XV. Kal. Septembr. accidit, Iulio mense aut Augusto Roma discessit Lambinus.

Ergo ante hunc diem primam ex epistolis nostris conscripsit anno ipso 1556. Insequentibus annis Venetiis, sive in Corneliano diversatum, ostendunt aliae, quas Brutus[5] edidit. *Venetiis A. D. XVII. Kal. Mai. anno MDLVIII.* libros X. Aristotelis ad Nicomachum Latine a se versos dedicat Cardinali Turnonio; quo ille tempore, ut ibidem praefatur, „*in urbe totius Italiae pulcherrima, opulentissima, quietissima, pacatissima a pristinis curis aliquantulum laxamenti nactus respirabat.*"

de suo addidit? Neque mirum; non enim librariorum errata tollebat, sed Ciceronem ipsum, si quando non satis commode locutus videretur, corrigebat. *Vide lib. 1. cap. 19. 2. edit.* cet. *Ita in 1. Eth.* At Lambinus Arretini errorem, quamvis sedulo monente me, ne id faceret, secutus, suam, ut aliis quoque locis, philosophiae inscientiam prodidit. *Illum etiam appellare videtur cum scribit:* Qui Plautum commentario onustum emisit, pluribus locis emendatum non facile dixerim. — 1) lib. 2. ep. 76. *Mur.* Laudat te, quem ita tamen accepit. Scit scilicet quem laudet, et cur; metuit, ne offendat solido. — 2) *Scaligerian.* 2. — 3) *Marcus Velserus lib. 8. rer. Augustan. edit. Venet.* 1594. *pag.* 177. Hubertus Giphanius iuris scientia omnique politioris litteraturae laude clarus; nam hoc testimonium veritati, non amicitiae damus. *V. Barthium lib.* 5. *Advers. cap.* 10. *Iosephum Scaligerum in Copam cet.* — 4) *Illum spectare censetur praef. in Cicer.* Hac respondebo . . . . a nemine sui laboris fructum impudenter atque iniuste in me transtulisse; quod nuper in meo Lucretio quidam omnium mortalium petulantissimus atque impudentissimus fecit. — 5) *pag.* 378. *vide et* 543.

Vertit autem, auctore eodem Cardinale, qui eos Graecos cum legeret, Lambinum quasi interpretem et scholiastam adhibere solebat. Hos vero Lambinum hoc tempore in Italia vulgasse, ipsemet affirmat [1]: „*Ibi* (in Italia) *libros Aristotelis de Moribus ad Nicomachum Latinos a me factos non eo consilio ut ederem, sed partim ut amplissimo et clarissimo cuidam viro, cuius eram familiaris, morem gererem, partim multorum eruditissimorum virorum hortatu typis mandavi ac divulgavi.*" Divulgati autem sunt hoc titulo: „*Aristoteles de Moribus ad Nicomachum libri decem, nunc primum e Graeco et Latine et fideliter, quod utrumque querebantur omnes praestitisse adhuc neminem, a Dionysio Lambino expressi. Eiusdem Dionys. Lambini in eosdem libros annotationes, quibus cum obscuri loci multi illustrantur, depravatique emendantur, tum quid inter hanc et ceteras horum librorum conversiones intersit, aliqua ex parte ostenditur. Venetiis ex officina Erasmiana apud Vincentium Valgrisium MDLVIII.* Postea et saepius alias editi, et a. 1565. *Lutetiae ap. Vid. Guil. Morelii, de integro,* ut ibidem dicitur, *ab eodem recogniti, et multis locis correcti;* adiecta epistola Lambini ipsius Iusto Turnonio Cardinalis fratris filio; in qua huius atque aliarum duarum editionum, quae hanc praecesserant, rationem reddit. Sunt vero in omnibus versus Mureti in Lambinum, et epistola pariter Mureti in eiusdem operis commendationem *purioris ac politioris philosophiae studiosis* data *Non. Mart.* 1558. *Patavio.* Sed postea laudum harum poenituisse Muretum credo; cum videam in exemplo horum librorum, quod etiam manu correctum a Lambino habuisse videtur (sunt enim emendationes nonnullae manu scriptae) multa in eum notat; ut pag. 17. ubi Lambinus vertit: *Si cui sint liberi omni vitiorum genere cooperti, vel cuius amici qui essent viri boni, excesserint de vita,* Muretus: *ἢ φίλοι ἢ ἀγαϑοὶ ὄντες, de liberis ipsis loquitur* [2]*:* et pag. 33. ad eum locum: *talem virtutem, quae in voluptatibus ac doloribus versatur, ad res optimas agendas idoneam esse,* adscripsit Muretus: *non intelligit.* Pag. 48. ubi Lambinus *de iacturis, quae orta in mari tempestate fieri solent,* Muretus: *malim iactu dicere; etsi utroque Iurisconsulti utuntur.* Pag. 84. vertit Lambinus: *eaque magis in hominibus innascitur, quam profusio;* Muretus: *profusum apud Ciceronem lego, profusionem nondum legi.* Pag. 154. *De his igitur nunc dicendum* cet. adnotat Muretus, *omittit illud ἐπιστήσασι, quod non intelligebat.* Plura etiam in Scholiis notavit [3], in quibus quaedam alia manu quasi Lambini responsa

1) In praefat. ad Cicer. — 2) Cui tamen animadversioni in edit. a. 1565. Lambinus respondit p. 7. num. 47. — 3) Pag. 288. *ad illam Lambini annotationem lib. 1. n. 23.: ubi Horatium affert, Muretus margini adscripsit:* De alio genere hominum loquitur, *et inferius ad Lambini verba* stultum igitur et ridiculum mehercule hoc hominum genus cet. *Muretus hanc notam apposuit:* stultus tu ipse et ridiculus, qui de eiusmodi hominibus Aristotelem loqui putes. Pag. 307. *ad Lambinum dicentem:* imperitiam dixissem, si mihi videretur usitatum; *scribit Muretus* Salustii est et Iurisconsultorum et Lactantii. Pag. 322. *Lambinus φαντασίαν* . . . Petronius aestimationem dicit novo et barbaro nomine; *Muretus* aestimationem non puto neque novum esse neque barbarum *ἀντὶ τῆς ἀξίας καὶ τιμῆς.* Pag. 361. *Lambinus:* non annotarem id, quod leve ac puerile est, nisi quidam amicus meus dubitare se dixisset, an Latine dicatur, se ipsum examinare cet. *Muretus:* Calepinus auxilio esse poterat. pag. 368., *ubi Lambinus Basi-*

apparent, atque his Muretus quaedam praeterea reponit; ut pag. 343. cum reprehendisset Perionium Lambinus, quod dixisset; *sustinet audire*, scribens: *hoc loquendi genus Latinum esse non puto, nedum Ciceronianum;* manu Mureti scriptum invenitur: *Quintiliani est et Celsi et Plinii et Ovidii et Suetonii,* alia manu vero, in qua Lambinum videre mihi videor: *quid tum postea, Murete?* hinc, Mureti certe manu: *Sequitur, etsi Ciceronianum non est, Latinum tamen esse, quod tu antea negaveras.*

5. Anno 1559. cum Lucae esset Lambinus, credebat brevi fore, ut Romam cum Cardinali proficisceretur; *propterea quod,* ait, *hic Pontifex aqua inter cutem, morbo insanabili praesertim in sene, afflictus et paene confectus, nullis medicamentis excitari nec recreari potest:* quod verum fuit; decessit enim Paulus IV. eodem anno XV. Kalend. Septembr., ut diximus. Hoc quoque Lambinus in praefatione sive epistola illa ad Cardinalem Turnonium tradit, postquam ad aquas Lucenses venisse eum dixit: „*Ubi,* inquit, *cum de Pontificis Max. obitu certior factus esses, tibique instarent, non solum tui, verum etiam alieni et tamen tui amantissimi, ut Romam ad Comitia Pontificia mari contenderes (nam te terra iter facere adversa tua valetudo prohibebat) vix tandem pervicerunt . . . . Te suasore atque adeo auctore, vir eximia virtute, doctrina, morum integritate, vitae religione ornatissimus, Pius IV. omnibus omnium Cardinalium suffragiis Pontifex Max. declaratus est. Cui quid ego nunc dicam quam carus sis? quanti te ille et Romae praesentem fecerit et nunc absentem faciat? . . . . Neque vero ille unquam adduci potuisset, ut te a se dimitteret, nisi tristibus iisque crebris e Gallia allatis ad se de religione litteris ac nunciis commotus, cum cuperet florentissimo potentissimoque regno pro suo paterno in omnes Christianos amore consulere, te unum ad eas partes aptissimum esse iudicasset; cum praesertim Rex ipse Franciscus II. et mater consiliariique Regis te quotidiunis litteris ad se flagitarent, eamque ob causam triremes IV. in portum Ostiensem, partim velis provectae, partim remis appulsae essent; quarum erant duae regiae e portu Massiliensi profectae; reliquarum duarum altera a Cosmo Florentiae regulo, altera a civitate Genuensi rogatu regis erat missa. Ita te Pontifex Max. Pius IV. a se discedere atque in Galliam reverti passus est.*" Tempus, quo rediit in Galliam Turnonius, idem paullo superius significavit: „*Quis fuit nuper tuus in Galliam ex Italia reditus? . . . . quo te vultu Rex Franciscus II. paucis antequam diem suum obiret diebus, quo Catharina Medicea mater eius excepit?*" Obiit Franciscus II. Non. Decembr. anni 1560. Videtur ergo autumno eiusdem anni ex Italia in Galliam rediisse Turnonius et cum Turnonio Lambinus. Lugduni tamen substitisse magnam partem anni 1561. eius epistolae testantur Lugduno datae Nonis

---

lium ait Margiten poema non Homero, sed Pittaco adscribere. Vide locum Basilii, ut intelligas hoc homine nihil esse ineptius. Pag. 409. *pro* Aspasio *substituit* Eustratium. Pag. 414. *ubi Lambinus se assentiri ait Petro Victorio:* Idem notarat Felicianus decennio ante Victorium cet. *Nonnulla ex his emendavit Lambinus; et postrema illa verba, lib. 1. adnot. 23., quae est in alia edit. 21. delevit.*

Februar.[1], Idibus[2], XII. Kal. Mart.[3], Kalend. April.[4], Prid. Non. April.[5]

6. Reversum in Gallias, constat Lambinum factum esse Parisiis Latinarum litterarum professorem regium. Munus tamen illud brevi tempore obtinuit, ad Graecas litteras docendas translatus. Significat hoc idem Lambinus in oratione quadam, quam anno 1562. Parisiis editam vidi, atque ipse se tertiam habuisse affirmat, ita eam orsus: „*Nihil erat, AA., quamobrem tertiam apud vos ex hoc loco orationem haberem; etiamsi posteaquam huic regio publice docendi muneri praepositus sum, nova res intervenit. Nam, unde haec nata sit commutatio, ut qui paullo ante litteras Latinas docebam, is nunc scriptores Graecos vobis interpretari incipiam, scire vos oportet* cet. Tempus, quo id factum, habemus ex oratione Leodegarii a Quercu, qui Lambino successit, *habita*, ut in titulo ipso dicitur, *initio suae professionis anno* 1561. *X. Kal. Ian.* Nam in illa Leodegarius narrat: „*A. d. VI. Idus Novembres Guilielmus Rusaeus et Iacobus Amiotus . . . . . . per litteras significarunt, Michaëlem Hospitalem clarissimum Galliarum cancellarium a rege impetravisse, ut ego in Lambini, ille in Turnebi, Turnebus in Vicomercati locum sufficeremur.*" Vicomercatum non inter regios professores esse desiisse, sed alium obtinuisse locum discimus ibidem, cum regios, qui eo tempore erant, professores enumerat.[6] Sub finem ergo anni 1561. a Latinorum scriptorum interpretatione ad Graecos Lambinus transiit. Quando vero primum Latinorum ei interpretatio tradita sit, nunc quaerendum. Elici id posse puto ex alia oratione, quam eodem anno 1562. habuit Lambinus, cum Philippicarum Demosthenis explicationem esset orsurus. Nam cum initio (ut titulus ipse orationis significat[7]) publicam calamitatem deplorasset contulissetque pristinam scholarum celebritatem cum ea, quae tunc erat, vastitate, ut cum olim rege Francisco I. et Henrico II. ad viginti studiosorum adolescentium milia numerarentur atque in illa, qua docebat, aula, modo trecenti, modo quadringenti, interdum quingenti et sexcenti assidui auditores comparerent, anno superiore centenos vel ducentenos auditores vidisset; illo vero anno, „*bello impio conflato, pestilentia saevissima coorta, quingentos adolescentes bonarum litterarum bonarumque artium studiosos reperire*" vix posset; in gymnasium vero vix auderet sperare „*quinquaginta assiduos auditores quotidie ad se aut quemvis alium e collegis audiendum conventuros:*" ubi, inquam, hoc ille exse-

1) Ep. Brut. pag. 438. — 2) Ibid. pagg. 445. — 3) Ibid. App. pag. 27. — 4) Ibid. pag. 10. — 5) Ibid. pag. 19. — 6) Duo linguae sanctae interpretes Mercerus et Quinquarboreus . . . . duo autem philosophorum et astrologorum enarratores Vicomercatus et Hamelius, regius vero aureusque poëta Ioannes Auratus . . . Iacobus Goupylus medicorum coryphaeus, et Petrus Ramus eloquentiae ac philosophiae gravissimus professor . . . Adrianus Turnebus noster amor, nostrae gentis ornamentum. — 7) Dionysii Lambini Monstroliensis, Graecarum litterarum doctoris regii, oratio postridie Idus Dec. pridie quam Philippicarum Demosthenis explicationem orsus est anno 1562. in aula gymnasii Samarobrinensis habita, in qua primum publicam calamitatem deplorat, deinde privatum suum incommodum casumque adversum commemorat; postremo pauca de re, et de Olynthiacis orationibus, a quibus initium facit, praefatur. Parisiis MDLXIII.

cutus est, ad privatam quandam calamitatem suam descendit, mortem nimirum fratris filii ex pestilentia, quem ait paucis postquam in doctorum regiorum numerum adscriptus fuerat mensibus Monstrolio Lutetiam evocasse, ut in gymnasio Plessaeo erudiretur; mortuum autem postridie Kal. Octobr., postquam annum integrum et eo amplius Lutetiae fuerat commoratus. Rationibus ergo subductis invenitur, Lambinum paucis mensibus ante Octobrem 1561. regium doctorem esse factum. Quod quidem optime convenit cum reliquis eius vitae actibus, atque eo praesertim, quo Lugduni Idibus Aprilibus Horatium Carolo IX. et Cardinali Turnonio dedicavit.

7. Commentarii illi in Horatium, si Sammarthanum audimus, magno in pretio sunt apud viros doctos, eosque multum Ioseph Scaliger laudavit.[1] Vidimus eos quinquennio post, id est anno 1566., editos *Venetiis apud Paulum Manutium Aldi F.* cum additamentis nonnullis Io. Michaëlis Bruti, qui quidem Brutus in epistola iisdem praefixa scribit Francisco Rainerio; „*cum intelligerem, Lambinum in carminibus Horatii interpretandis non solum doctrinae cuiusdam reconditioris, sed ingenii atque eloquentiae laudem magnam rettulisse*" cet. Fatendum est tamen multis in locis displicuisse Mureto, qui in editione eorum Tornaesiana [2] multa in margine manu sua notavit. Et continuo quidem in epistola lectori locum illum *libri mihi reperti sunt discrepare*, quod barbare, credo, id aut non satis Latine ei dictum videretur: et in vaticinio illo Maludani, ubi numerat *terquingentas sexagintaque messes*, Muretus adscripsit; *Adiit igitur hanc vatem aliquot annis post mortem suam.* Maioris momenti sunt, quae in ipsis commentariis confixit. *Ode 2. candenti humeros amictus* dici posse putavit Lambinus, quod proxime post *candenti* aspiratio sequatur, exemplumque attulit ex *ode* 28. *ossibus et capiti inhumato.* Hic ergo Muretus: *quasi scribatur hinumatus.* Ad inscriptionem od. 6. *Ad M. Vispanium Agrippam*, ubi Lambinus ait Vispanium nomen addidisse ex libro Rainutii Farnesii Card., Muretus: *Dionem videlicet non legerat, neque Tacitum, neque . . . . . viderat.* Ad locum od. 7. *Albus ut obscuro*, ubi Lambinus λευχόνοτος cet. Muretus: *Ex Luisino, cuius librum ab hoc lectum esse, satis aliunde constat, ut ex illo loco: nec regna vini sortiere talis.* Initio commentarii in oden 11. scripsit Lambinus *omnes . . . . . coniuncte legunt Scirenefas.* Muretus: *non puto.* Initium sequentis carminis ait Lambinus videri ex Pindaro expressum, *quod quidem*, inquit, *et Muretus nuper, et alii iampridem adnotarunt.* Muretus: *qui?* indicans scilicet, nullum praeter se illud animadvertisse. Ad commentarium od. 20. soloecismum notat: nam scripsit Lambinus *vinum Calenum ventriculo utilior quam Falernum;* Muretus: *nota, quod vinum Calenum est utilior quam Falernum;* quod quidem miror in sequentibus editionibus etiam Bruti remansisse.[3] Ad od. 38. illud *sedulus curo*, Lambinus, *ordo est sedulo curo;* Muretus: *imo illud sedulus refertur ad puerum.*

---

1) Vide et Baillet in Grammat. num. 377. — 2) Lugduni apud Ioannem Tornaesium MDLXI. — 3) Correctum postea vidi in edit. Paris. 1567. pag. 59., ubi tamen insigne est typographi erratum in epistola dedicat. Carolo IX., in qua annus adscribitur 1541.

Ad lib. 2. od. 2. cum ad illud *quisquis ingentes oculo irretorto* cet. longiorem disputationem instituat Lambinus, adnotat Muretus: *Nullo modo probat, retorquere oculos esse, id quod vult, si diligenter consideres.* Ad od. 7. scribit Lambinus: *Venus, id est, talus Venereus;* Muretus: *ita loquitur, quasi unus aliquis talus Venerem efficere posset.* Ad id, quod scripsit de Attalo ad od. 17., Muretus: *Atqui Attalo Asiam bello captam populus R. muneris loco possidendam dederat. Vide Valerium cap.* 8. *lib.* 4. *et qui ibi a Corrado citantur.* Ad lib. 3. od. 4. *nequitiam* significare intemperantiam et libidinem rerum venerearum scripserat Lambinus; ait Muretus: *hic neque intemperantiam neque libidinem rerum venerearum significat; anzi la dappocaggine, l'esser da niente.* Ita non recte ab eo intellectum et expositum locum od. 27. *Pater, o relictum filiae nomen* significat, addens expositionem suam; *O Pater, cuius mihi nunc nisi nomen nihil relictum est:* Et in Epod. od. 2. cum scripsisset ad verba illa: *haec ubi locutus;* Lambinus: *nonnulli subaudiunt verbum sum,* Muretus apposuit: *id est, tu ita intelligebas, nisi admonitus a me esses.* Ad od. 5. Lambinus, *Praetextam significat, qua utebantur pueri usque ad annum decimum quartum: deinde sumebant togam virilem, quam puram appellabant.* Muretus: *hominem antiquitatis peritum!* Et fortasse Muretus Aldi Manutii sui sententiam imbiberat[1], exacto anno XVI. ineunte XVII. togam puram datam, quae pariter fuit sententia Gruchii[2], Scaligeri[3], Pamelii[4], Salmasii[5], cet. postea bene probavit Card. Norisius[6], eamque certam sibi paene sententiam esse dixit, adolescentes florente re publica ac sub prioribus Caesaribus, expleto decimo quinto aetatis anno ac decimo sexto inito virilem togam sumpsisse: quae sententia etiam fuisse antea videtur Sigonii. Paullo vero inferius cum de bulla loquens attulisset Lambinus illud Virgilii, *It pectore summo flexilis obtorti per collum circulus auri,* Muretus adscripsit: *hic quidem torquis est, non bulla;* et ad od. 14., ubi Lambinus ex Athenaeo Phrynes historiam adduxit, dixitque eam Hyperidem oratorem[7] tamquam Veneris sacerdotem oleo perfudisse, *ἐλέῳ χρησαμένους, vide stuporem hominis,* ait Muretus. Ad od. 17. illud *tuis capillus albus est odoribus* exposuit Lambinus; *tui odores, tua unguenta mihi canitiem attulerunt;* Muretus: *immo odores vocat sacra magica, quod in eis multa aromata urerentur ac suffimenta fierent, ut apud Theocr. pharmaceutria ἐκ θυέων καταθύσομαι.* Alia etiam adnotavit ad partem alteram commentariorum, qui sunt in satiras et epistolas. Pauca hic subiiciam, quod haec non inutilia, sed ad aureum illum poëtam intelligendum prodesse multum putem. Ad illud lib. 1. sat. 3, 65. *aut tacitum appellet,* haec adnotavit, non tam ad reprehendendum Lambinum, quam ad Horatium illustrandum; *Fortassis rectum est appellat, ut ita dicat Horatius appellere aliquem, quomodo dicimus Gallice aborder quelquun.* Illud satirae 4, 105. *insevit pater optimus hoc mi* ait se ita resti-

1) Epist. de Toga in quaesit. per epist. pag. 11. — 2) lib. 2. de Comit. cap. 3. — 3) ad a. 1964. Euseb. — 4) ad cap. 16. Tertulliani de Idol. — 5) ad Lamprid. in Commod. — 6) lib. 3. de Iudic. cap. 19. — 7) Apud Athenaeum 13. p. 590. e. nunc editur ἐλέῳ χαρισαμένους pro ἐλέῳ χρησαμένους; sed Lambinus deceptus est a falsa lect. Ed. Basil. ἐλαίῳ χρισαμένους. Or.

tuisse Lambinus, cum antea legeretur, *insuevit pater optimus hoc me*. Muretus: *Ineptus hic corrupit locum, quem emendasse se iactat. Ita usus est Tacitus verbo suesco libro* 2. (Annalium nimirum cap. 52.) *ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos attineret disciplina et imperiis suescerct: et Columella verbo insuesco lib.* 6. *cap.* 4. *maxime tamen habetur salutaris amurca, si tantumdem aquae misceas, ut ea pecus insuescas.* Illud satirae sequentis *paene arsit m. d. t.* admonet restituisse Lambinum *ex ingenio:* quod saepe eidem alii, maxime in Cicerone, obiecerunt. In commentario ad satiram 5. libri 2. reprehendit, quod illud initio Tiresiae, *narrationem* vocet. Ibidem ad illud, *divinare etenim*, Lambinus protulerat nonnullorum explicationem, a quibus se dixerat dissentire. Muretus vero: *tu antequam a me admonitus esses, ita explicabas: ita autem, ut ego, exponit et Boëthius lib.* 5. *de consolat. Philos., quem vide.* Ad satiram 8. et locum illum *super ipsum*, animadvertit Muretus *super sequente vocali, supra sequente consonante:* quod tamen perpetuum non est. Ad epistolam primam *Prima dicte mihi*, cum Lambinus scripsisset; *Ex hoc loco argumentantur quidam, epistolas postremo loco ab Horatio esse scriptas et postremo loco esse locandas;* Muretus subiungit: *quod ineptum est: neque sciri certo potest, quo ordine poëmata sua scripserit. Certe quasdam odas scripsit iam senex, ut indicant illa „lenit albescens animos capillus litium et rixae cupidos protervae. Non ego hoc ferrem calidus iuventa Consule Planco" ode* 14. *lib.* 3. *et illa „Brachia et vultum teretesque suras Integer laudo: fuge suspicari, Cuius octavum trepidavit aetas Claudere lustrum" ode* 4. *lib.* 2. *et eiusdem ode* 11. *„Cur non sub alta vel platano, vel hac pinu iacentes sic temere, et rosa canos odorati capillos ..... potamus uncti? Neque non illa senectutem olent „Vixi puellis" et illa ode* 11. *lib.* 1. 4. *„Age iam meorum finis amorum, non enim posthac alia calebo femina." Quin et oden primam libri* 4. *constat ab eo prope quinquagenario scriptam: at ultimam epistolam huius libri scripsit annos natus* 44. *„Me quater undenos sciat implevisse Decembres Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno."* Ad eandem hanc epistolam et verba *nemo adeo ferus est* cum Theognim allegasset, Muretus: *non intelligit, quid Theognis dicat.* Denique, ut cetera taceam, ad libri secundi postremam epistolam, ubi *purae sunt plateae* ait Horatius, et Lambinus vocem illam *puram* explicat, addit Muretus: *Virgilius in* XII. 770. *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum sustulerant, puro ut possent concurrere campo. Ovid.* 3. *Metam. in extremo. Purus ab arboribus spectabilis undique campus. La galera, quando il padron vuol dormire in luoghi sì fatti, manda una fregata a vedere, s'è netto il paese, over s'è brutto; cioè se ci son corsari, o no.* Praetereo vero plurima, quae huc tantum spectant, quid a Mureto Lambinus in illis commentariis, quid ab aliis mutuatus sit.[1] De his commentariis suis

---

1) *Ita ad od. lib.* 1. 13. *ubi explicat* impressit memorem dente labris, *Muretus ad illam commentarii partem ducta transversum linea adscripsit* meum. *Ode sequ. ad dicta in illud:* Tu nisi ventis debes ludibrium, *pariter apposuit* meum. *Ad od.* 15. *ubi explicat vocem* melior *proponit Lambinus emendationem quandam loci Plutarchi in Pyrrho: Muretus adnotavit* Sirleti est. *Ode* 18. *explicat Lam-*

Lambinus in epistola illa praefixa Ciceroni: „*Ibidem* (in Italia) *Q. Horatium Flaccum cum exemplaribus antiquis, quorum magna est in eis locis copia, comparavi, eosque duces atque auctores secutus, multos in eo poëta locos et mendosos emendavi et implicatos explicavi.*

8. Atque addit de reliquis operibus suis: *Idemque in Lucretio perfeci aut certe conatus sum. His rebus secunda hominum voluntate absolutis, cum aliorum multorum, tum maxime Errici Memmii C. V. supplicum libellorum in Regia magistri hortatu, coepi in M. Tullio Cicerone, cuius me perstudiosum fuisse, qui me penitus noverunt, testes mihi esse possunt, idem cupere praestare.* Subdit de veteribus libris a se inspectis et studio, quod in his impendit *biennium cum anno dimidio, et paullo amplius.* Et Ciceronem quidem vulgavit a. 1566.[1] atque Errico Memmio dedicavit.[2] Triennio ante Lucretium universum nuncupavit Carolo IX.; singulos vero libros diversis, Errico Memmio, P. Ronsardo, Germano Valenti Pimpuntio, Mureto, Adriano Turnebo, Io. Aurato. Praeter hos, quos eo loco veteres auctores a se recognitos nominavit, edidit a. 1569. *Aemilii Probi, seu Cornelii Nepotis lib. de vita excellentium Imperatorum,* adiunctis satis longis commentariis. Ita vero eum librum inscripsit, qui nunc Cornelii Nepotis no-

---

binus quid sit crepare. Hic quoque nota illa meum, *Ad od.* 31. *ad verba* vina Syra reparata merce *Muretus:* ex commentario meo in Catullum. *Ad commentar. od.* 16. *lib.* 2. *subsignavit verba Lambini illa:* Atque haec quamvis non ita magni ponderis, quidam cum sciret a me occupata sibi iniustissime arrogavit cet. *credo quod se spectasse crederet: et ad oden sequentem ubi scripsit;* Quidam vir doctus, cum hunc locum legisset apud me Venetiis et sciret, me hos commentarios tum editurum, cum recudissem et limassem; XII. caput libri 2. variar. lectionum suarum ex his concinnavit. *Addidit Muretus,* mendacium impudentissimum, *et paullo post, quando de Gya agit Lambinus ex Apollodoro,* E meis variis lectionibus. *Ad commentarium in od.* 5. *lib.* 4. *ubi ad verba* laudantur simili prole *Catulli locum profert;* hoc ego notaveram in illum locum Catulli; *et ad* vitem viduas, *ubi similiter Lambinus ait, alibi se aliquot ex Catullo exempla annotasse, Muretus:* e meis commentariis sumpta, ubi haec omnia melius quam hic explicantur. *Ad od.* 9. non possidentem multa, *scribit Muretus de illis, quae ibi dixit:* A Badio hoc sumpsit. *Ad sat.* 1. *lib.* 1. demoveat lucro *Varronis locum affert Lambinus, Muretus:* ex me haec, non ex Varrone sumpsisti, gaudeo autem, quod locum hunc, uti a me postea emendatus est, tibi non ostendi „cui si sit terrae traditus orbis, Furunclo tamen" cet. *Paullo post ubi* non tuus hoc capiet, *dicit Lambinus:* alii hoc interpretantur propter hoc, sed minus recte; *Muretus:* Ego ita tibi interpretatus sum, et in sententia maneo. *Ad ep.* 2. *lib.* 1. quae se commendat tonsa cute *Lambinus Mureti quandam interpretationem affert: Muretus:* nunquam quidquam tale dixi, immo in contrariam sententiam disputaveram quadriennio ante in Catilinarias. — 1) Parisiis in aedibus Rovilii via Iacobaea sub signo Concordiae MDLXVI. — 2) (Addam hic, quae de Lambino habet Io. Mich. Heusingerus in dissert. de scripti. Gr. et Lat. nondum ad vett. exemplarium fidem emendatis, in Actis Soc. Lat. Ien. 1. p. 53. „Lambinus, cum pluribus libris vetustis usus esset, raro inde aliquid discrepantis scripturae attulit ac saepe tacitus a vulgatis discessit, ut quid ex coniectura, quid ex membranarum praescripto mutaverit, nemo facile divinare possit. Haec causa est quod in epistola quadam a Frutèrio rogatur, *ut, quae vetusti codicis sit lectio, semper admoneat commentariis suis, sive ea sit sana sive etiam insana sive etiam obscura et incognita.* Vide Parei *edicta patrum senatus critici,* Plauto praemissa Cap. 2. n. 3.) Cui consilio si obtemperasset, non iure argueretur, *libros ac lectiones citare nec repertas alibi nec facile reperiendas.* (Sunt verba Iac. Gronovii *praefat. in Opp. Cic.*)"

men passim obtinet, quod alia esset tunc multorum opinio; ipse vero contrariam se complecti in praefatione fatetur, et Cornelio adiudicat illud opus. De Aristotelis libris ad Nicomachum ab eo Latine versis superius diximus. Vertit etiam libros Politicos, sive, ut titulum ipse fecit, *de Reip. bene administrandae ratione* ediditque a. 1567.[1]; atque eodem anno Alcinoum *de doctrina Platonis*, scholiis ornatum.[2] Inter claros interpretes merito ab Huetio recensetur Lambinus, atque ab aliis laudatur[3]; immo Theodorus Zuingerus versionem Aristotelis rursus editam Graecoque textu auctam eidem, magna cum operis laude, dedicavit. Minora non persequimur[4], praesertim orationes, quas multas habuit vulgavitque. *De utilitate linguae Graecae et recta Graecorum Latine interpretandorum ratione*; eam Philippo Huralto Chivernio dedicavit a. 1572. Iampridem habita fuerat, sed cessaverat typographorum opera, iique nisi coacti et sententia lata damnati regis edicto parere noluerunt. *De Philosophiae moralis laudibus:* eam dedicavit Io. Baptistae Menillio; quem quidem impense laudat, quod contra Societatis meae homines acerbe invectus sit, Gallosque sit adhortatus, ut eos e Gallia exterminarent. Aliae sunt, *De laudibus litterarum* Errico Memmio nuncupata; *De recta linguae Graecae pronuntiatione* cet., quam dedicavit Ludovico Turnonio, *De rationis principatu et recta institutione* inscripta Errico Engolismaeo, praeter eas, quas supra commemoravimus. Item adversarias Demosthenis et Aeschinis orationes, quas Latinas fecit. Carmina eius etiam nonnulla leges in deliciis poëtarum Gallorum.[5] Postremo vitae suae tempore verterat se ad Plautum emendandum atque illustrandum. *Cum vero ad decimam tertiam comoediam venisset,* ait Iacobus Helias, is, qui in Graecae interpretationis munere Lambino successit[6], *incidit in morbum, qui ei et scribendi et vivendi finem attulit; eius enim corpus non tam senio, quam assiduo labore confectum, animam diutius continere non potuit.* Sunt qui animi aegritudine morbum contraxisse eum aiunt[7], cum audisset Petrum Ramum occisum, sibique metueret a Carpentario, qui submisisse homines ad Ramum obtruncandum dicebatur. Accidit id a. 1572. Quadriennio post editus est Plautus, suppletis in Lambini commentariis, quae relictae erant lacunae, a Iacobo Helia. Hunc Germanus Lambinus Dionysii filius Germano Valenti Guellio dedicavit.

Utcunque varia fuerint hominum iudicia de Lambino[8], mirum est, tam multa aggredi et perficere potuisse hominem, qui magnam vitae suae partem peregrinando traduxerit, nec diu vixerit, fuerit etiam, cum quietus erat, publicis praelectionibus et docendi munere occupatus. Hoc ipse Errico Memmio indicat[9]: „*Nam, obsecro te, qui locus quieti relictus est in vita, tam, ut ita dicam, motoria et turbulenta? . . . . . Haec igitur mea per annos fere duodecim vita fuit. In Italiam ex Gallia bis pro-*

1) Lutetiae a. 1567. apud Ioannem Benenatum. — 2) Ibid. apud eundem. — 3) Baillet, Thomas Meier cet. — 4) Minime omittendus erat Demosthenes a Morelio inchoatus, a Lambino ad finem perductus. Parisiis, apud Benenatum 1570. Fol. Or. — 5) Part. 2. l. 3. 8. 5. collectore Ranutio Ghero. — 6) In Praef. — 7) Varillas hist. Caroli IX. Lib. 9. Thuan. Baillet cet. — 8) V. Teissier tom. 2. pag. 419. — 9) Epist. Brut. pag. 435.

fectus sum cum Cardinali, toties cum eodem in Galliam ex Italia redii: semel pedibus, iterum navibus. Praetermitto quoties nos Roma Venetias Romam vel Pontifex Max. vel Rex transtulerit. Quem Latii aut Etruriae aut Umbriae aut Galliae transalpinae angulum non peragravimus? Quoties mari Tyrrheno, quoties Adriatico navigavimus? quoties Tiberi, quoties Pado? Sed quid de Italia loquor? In nostra Gallia, licuitne unquam mensem unum stabile domicilium certo in loco collocare?" Nec operam ipse suam in suis tantummodo operibus elaborandis limandisque, sed in aliis quoque aliorum libentissime collocavit. Extat Petri Angelii Bargaei epistola, qua se eius amori, humanitati (sic enim loquitur[1]), iudicio, labori denique, quem in scriptis suis corrigendis emendandisque susceperit, debere plurimum profitetur; atque ibidem *tanti viri excellentes virtutes* perpetuo se praedicaturum significat, additque praeclarum de Lambino testimonium: iamdudum sibi fuisse persuasum, esse neminem, cui ille *vel humanitate vel eloquentia cederet.*

1) Append. litterar. Brut. pag. 3.

SUPPLEMENTA.

M. T. Ciceronis Opera omnia quae extant a Dionysio Lambino.... emendata et aucta.... Eiusdem Lambini annotationes.... Fragmenta omnia quae extant. Venetiis, Aldus 1579. 8. *Praefat. fol.* 32. *non num. pagg.* 942. *num.* R.

Cfr. Renouard *Histoire des Alde. Ed.* 3. Paris 1834. p. 226. Huius Editionis Opp. omn. debebant esse volumina IX., sed prodiit primum dumtaxat.

M. T. Ciceronis de divinatione libri duo et de fato liber singularis ad optimas Edd. collati. Mit deutschen Wort- u. Sacherklärungen u. besondern grammatischen Anmerkungen zum Gebrauche der studirenden Jngend von *Ignaz Seibt*. Prag, Eggenberger 1834. 8.

— Oratio pro rege Deiotaro. Recognovit et potiorem scripturae diversitatem adiecit *Car. Henr. Frotscher*. Accedunt integrae scripturae Leidensis Codicis. Lipsiae, Voss 1835. 8.

CONSPECTUS EDD. ALDINARUM ET IUNTINARUM.

EX RENOUARDI HISTORIAE ALDORUM EDITIONE TERTIA.

1) ALDINAE.

I. Opera omnia. 1583.

II. Rhetorica. 1510. (Ed. subditicia.) 1514. 1521. 1533. 1546. 1550. 1553. (Ed. subdit.) 1554. 1559. 1564. — Commentarii variorum. 1546. 1551. 1561. — Dion. Lambini. 1569. 1579. — Pauli Manutii. 1569. — Aldi nepotis. 1583.

III. de Oratore Lib. III. 1564. 1569. — C. n. Dion. Lamb. 1569.

IV. Orationes. 1519. 1540—41. 1546. 1550. 1554. 1559. 1562. 1565. 1569. 1570. — Commentarii variorum. 1547. 1552. — Comm. P. Manutii. 1556. 1559. 1561. (Ed. subdit.) 1572. 1578. 1579. — Orat. pro Sestio. 1556. — Oratt. de lege agraria c. comm. Lauredani. 1558. — Orat. in difesa di Milone. 1554. — Le Filippiche trad. da G. Ragazzoni. 1556.

V. Epistolae ad Fam. 1502. 1512. 1522. 1533. 1540. 1543. 1545. (Ed. subdit.) 1546. 1548. 1549. 1552. 1554. 1556. 1560. 1562. 1564. 1567. — Cum comm. P. Manutii. 1571. 1572. 1575. 1576. 1579. 1582. 1583. 1592. — Tradotte. 1559. 1560. (Ed. subdit.) 1563. 1566. 1573.

VI. Epistolae ad Att. 1513. 1521. 1540. 1542. 1544. 1548. 1551. 1554. 1555. 1558—59. 1561. 1563. 1564. 1567. 1570. (1518. 1519. 1542. 1553. Edd. subditit.) — In easdem Comm. P. Manutii. 1547. 1553. 1557. 1561. 1568. 1570. 1572. 1572. 1579. 1582. — Tradotte. 1555. 1557. 1569. — sine anni nota. — Epistolae ad Brutum: tradotte. 1556. In eas P. Manutii Comment. 1557. 1562. — Istruzione politica a Quinto. 1588.

VI. Opera philosoph. 1523. 1541. 1546. 1552. 1555—56. 1560. 1562. 1565. — Cum comm. Aldi nepotis. 1583.

VII. de Officiis cet. 1517. 1519. 1541. 1545. 1548. 1552. 1555. 1559. 1561. 1564. 1567. 1570. 1581. 1592. — Cum comm. P. Marsi et Ascensii 1548. — Cum comm. Aldi nepotis 1581.

VIII. Interpretatio Arati: cum Astronomicis 1499.

2) IMITATIONES ALDINARUM LUGDUNENSES.

I. Rhetorica sine anni nota. (1504.) II. Orationes. 1508. 1515. III. Epistolae ad Fam. sine anni nota. IV. de Officiis cet. sine anni nota (1508.)

3) EDITIONES IUNTINAE.

I. Cicero P. Victorii. 1534—37. II. Rhetorica. 1508. 1514. III. Libri oratorii. 1514. 1526. IV. Orationes. 1515. 1521. V. Verrinae. 1515. VI. Philippicae. 1515. VI. Epp. ad Fam. 1510. 1526. VII. Epp. ad Att. 1514. VIII. Opera philos. 1516. IX. Tusculanae. 1508. 1514. 1532. X. de Officiis. 1513. 1517.
